


W. Sanning inv. et fec. — G. ...wald sc.

DE CINNAMOMO

DISPUTATIO,

QUA

HORTUM MEDICUM BONNENSEM, FELICITER INSTRUCTUM, RITE INAUGURATURI

RES EIUS VIRIS, REI HERBARIAE STUDIOSIS, COMMENDANT

C. G. NEES AB ESENBECK, Dr.

ET

TH. FR. LUDOV. NEES AB ESENBECK, Dr.

FRATRES,

HORTO MEDICO BONNENSI PRAEPOSITI.

Cum tabulis septem iconographicis.

BONNAE, 1823.

Iam, quae seminibus iactis se sustulit arbos,
Tarda venit, seris factura nepotibus umbram.

Virg. Georg.

VIRO ILLUSTRISSIMO

AC

DOMINO

LIBERO BARONI DE STEIN

AB ALTENSTEIN

AUGUSTISSIMI ET POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS IN REBUS AD OMNEM ERUDITIONEM, DEI CULTUM ET MEDICINAM SPECTANTIBUS SUMMO MINISTRO, ORDINIS AQUILAE RUBRAE EQUITI PRIMARIO etc. etc.

S. P. D.

C. G. NEES AB ESENBECK, Dr.

ET

TH. FR. L. NEES AB ESENBECK, Dr.

Munus, quod Tu, Vir illustrissime, nobis mandasti, eiusmodi fuit, ut nunc post annum quartum ab Universitate litterarum Bonnensi condita posci ratio posse videatur eorum, quae in Horto medico penitus novo instruendo ad finem perducta sunt; neque vero singularibus tantum et privatis rationibus, lege praescriptis, uti in istis rebus satis esse ducebamus, sed ea potius exigi, quorum ope aliquando diiudicari possit, utrum illa, quae iam effecta sunt, Te sint auctore digna, necne. Tu etenim, Regia simul in nos paternaque auctoritate pollens, et totus in promovendas litteras, generis humani solatia, conversus, Hortum medicum iussisti eum instrui, non modo qui Universitatem Litterarum, a FRIDERICO GUILELMO III, BORUSSORUM REGE AUGUSTISSIMO institutam, deceret et rei herbariae studiosis optime inserviret, sed cuius beneficio, si fata sinant, ipsa quandoque historia naturalis plantarum, tanquam idoneo instrumento, excoli posset atque amplificari. Quae quidem haud ita facilia factu, neque paucorum esse operam dierum, adeo Ipse sentis, ut certi simus, Te non tam peracti negotii nuntium, quam rei bene inchoatae augurium quoddam hodie exspectare, et in his, quae summa reverentia nunc Tibi offerimus, una cum praesente viliorique fructu simul et futurorum dulcedinem, ex isto agro maturo tum tempore uberiorique affluente vena eliciendam, esse percepturum.

Amoenitates botanicas inscripsimus generaliori quodam titulo Librum, quem, in quatuor fasciculos distributum, per sin-

gulos annos edere statuimus, ea quidem sententia, ut amoenissimam terrae progeniem tractans animus, in opere suo faciendo plenus semper futurus sit voluptatis, quam suavissimam excitat meritorum in gentem humanam pia memoria. Enimvero, qui beneficia sua confert in litterarum et artium incrementa, quisquis ille sit, in generis humani salutem effundit opes, nunquam eodem pondere vel addito etiam foenore ad ipsum redituras. Dixeris, ingenium, ceu ardentissimam flammam, corrodere aurum et argentum, incensoque mox in istis, quae pondera inertia existimari solent, novo cum sensu aurae coelique desiderio, tam sublimia ea auferri, ut quaerere rursus videantur aethera et ante oculos coecos evanescentia, gravissimam saepe vituperationem contrahant iis, qui tanta et tam pretiosa vulgi bona prodige, ut multi opinantur, disperdiderint, quin, fere ad nihilum redegerint. Dum vero illi queruntur et bonorum reprehendunt effusionem, fulget iam inter sidera puriori splendore aurum, quod larga in litteras manus impenderat, affluunt usurae, quocunque mortali pretio potiores, perque dives Ille sempiterna celebratur fama. Est enim concentus quidam omnium litterarum, ad quem augendum et roborandum vox quaeque tenuissima inservit.

Et nostram quidem quam maxime exilem vocem esse, Tu non ignoras, neque nos dedecet, id palam profiteri, scilicet cum nihilo minus ea tamen permagna pars sit orbis, quam nostra disciplina amplectitur, nec vana ille gloria se resque suas insolenter

efferre videatur, qui forte affirmet, per solas plantas pulchram prodire terram, ridere campos, montesque et coelos a ventis sonoris impelli. Sed licet tamen, pro sua quemque ex istis rebus affectione ac sensu accepta ea habere et laudare, vel etiam ducere levia; modo hoc fateantur omnes: legibus immotis obtemperare, quid, ipsam potius vivere legem, quaecunque in terris crescunt virentque plantae, optimoque isto suo exemplo hominibus, a se nutritis et delectatis, monstrare, quomodo vera tranquillitas animi et pax inter vivos inveniatur.

Quae reliqua sunt artis herbariae, sane multa ea quidem nuda reperiuntur nomina, sed ista quoque ingenio concepta et omnino necessaria, quibus denique ad ipsam naturam plantarum penetremus et artificiosissimum Dei omnipotentis opus ea, qua par est, admiratione persequamur.

His si paullo longius a proposito digressi sumus, minime tamen veremur, Te, Vir illustrissime, esse Eum, Qui Tuum id non existimes, aut graviter feras, his tam parvis publice Te interesse et agmen ducere eorum, qui de horto nostro bene meruere.

Qui hunc sequentur fasciculi, iique singuli per se absoluti et integri, (spectabunt autem ad botanicen omnes, sed a varietate commendationem habebunt ita, ut vel horti plantae rariores in iis proponantur, vel agri Bonnensis Flora illustretur, vel etiam studiosae iuventutis lucubrationes, exoptatissimi disciplinae nostrae fructus, quos institutorum Regiorum adminiculis percepturi sumus,

a nobis strenue castigatae, viris doctis commendentur), hos omnes consecraturi sumus gratae memoriae Illorum, qui post Regis potentissimi beneficia, Te autem duce et exemplo, hortum medicum Bonnensem inde a primis eius temporibus tam largis donis ditaverunt, ut summum scientiae, apud nos augendae, ardorem splendidissimo isto exemplo optime comprobarent.

Longum est, recensere Fautorum et Benefactorum nomina, sed vix tamen vehementi nostro desiderio moderabamur; cum maxima pars referendae gratiae in eo nobis posita esse videretur, quod coram Te enunciato nomine et merito, sereno vultu fortasse responsurus fuisses: placet! Nimis autem increvit nominum series; non solum enim qui Tui reputandi sunt ad unum omnes, verum etiam omnes Germani, qui plantis student, exterorum plerique gravissimique viri, optima quaequē in communes usus contulere; quos cunctos, Deo favente, crescentes una cum horto fasciculi nostri ordine suo Tibi indicabunt.

Tu autem, Vir illustrissime, vale nostroque propitius aspira labori!

Scribebamus Calendis Ian. MDCCCXXIII.

HORTUS MEDICUS BONNENSIS.

Hortus medicus ambit Museum Historiae naturalis, haud procul a Bonna urbe ad Vicum Populi situm, septendecim iugerum Borussicorum spatio meridiem versus inter orientem et occidentem. Munitur fossa aquae, lente adfluentis et defluentis, quae undique eum cingens, barbaros incursus arcet; nec muro circumducto opus fuit, nec sepibus, sed patet regio finitima, fertilissimorum agrorum variis terminis coloribusque exornata, vicisque plurimis consita, donec a sinistra prospicientis Septem Montium iugum variabile, a dextra Godesburgum, arx vetusta, vix milliarii unius itinere, limites ex ista parte oculis ponunt; ex altera parte Mons Crucis imminet, a cuius pede ad horti ipsius terminos Vicus Populi aedificiis suis pertinet.

Solo plano est hortus, aprico, ex argilla humoque mixto, satis etiam pingui, plantasque persaepe ad mirandam altitudinem enutrit. Ea pars horti, quae inter ortum et occasum latissima patet, quindecim iugerum ambitu, in tres rursus subdividitur partes fere aequas, quarum duae, utrinque ad ortum et meridiem distributae, arborum omnium et fruticum, hiemem nostram ferentium, nemore, crebris aliquando implexisque frondibus denso, Eurum Austrumque compescent, et sub umbras frigidas plantas, quae fugiunt

*

solem, recipient. Arborum fruticumque silvestrium species circiter 730 ad hunc diem in istis finibus horti consitae sunt, quarum illae, quae orientem versus crescunt, ad Systema Linneanum, hae vero, quae meridiem spectant, naturalis systematis lege sunt distributae. Iuvat hic addidisse nomina quarundam, quae, licet mitiori coelo assuetae, tamen et nostrae regionis hiemes, per se quidem quam pro situ loci leniores, adiuvante etiam solo spissiori ac profundo, mirum in modum illaesae tolerant, ut Iasminum officinale, Philyreae omnes, Sideroxylon (Bumelia) lycioides, Laurus Sassafras, Liquidambar styraciflua, Aucuba Iaponica, Vitex Agnus castus, Rhododendra, Prunus Laurocerasus etc.

Quae interiecta est arboretis agri pars iugerum quinque, applanata, solibus exposita, in areas maiores sex aequali fere circuitu dividitur; accedit ex utroque latere area, magis in longitudinem extensa arcuque circuli amplo sui quaeque lateris arboreto contermina.

His autem areis, in arcum circumductis, Plantae monocotyledoneae ita adscriptae sunt, ut ad dextram eius, qui ab aedibus in hortum oculos convertit, sive in meridionali tractu, Graminum perennantium familia, ad sinistram autem, magisque versus orientem spectantes, reliquae huius classis plantae perennes, v. c. Liliaceae, Irideae etc., naturali, quam dicunt, methodo distribuantur.

Sex illae maiores areae, seu sectiones, quarum supra mentionem fecimus, reliquas plantas longioris vitae, hiememque perdurantes, e Dicotyledonearum classe, recipiunt easque ad regulam quandam, naturae, quoad eius fieri potuit, applicatam, hac ratione dispositas, ut prima sectio ad dextram Urticeas, Plantagineas, Plumbagineas, Primuleas, Personatas, Acantheas, Viticeas, Labiatas, Asperifolias, Solaneas, Convolvuleas, Polemonides, Gentianeas et Apocyneas, in suis quasque areolis, aream maiorem transverse percurrentibus, duplici

serie decussatas; nutriat. Sequitur hanc in eodem latere altera sectio, Campanuleas, Lobeliaceas, Cucurbitaceas, Cynarocephalas, Eupatorineas, Vernoniaceas, Inuleas, Asteres, Senecionides complectens, quam mox tertia sectio, quadrantem fere circuli referens, excipit, Corymbiferarum reliquo agmini, (Helianthaceis, Anthemidibus etc.) adscripta; adduntur angustiori circulo, interiora versus collectae, Aggregatae omnes ac Valerianeae.

Hinc ad alterum latus transgressus, aedesque e via media rursus respiciens, in extrema huius lateris sectione arcuata, ad ambulantis dextram Compositarum familiam conspicis, Cichoracearum grege clausam, ad quam accedunt Rubiaceae, interiorem occupantes circulum, ubi ex altera parte cum Globulariis Aggregatae habitant, uti iam dictum est, Valerianaeque. Sectio proxima, quae media est huius regionis, Araliaceas et Umbelliferas profert, porro Saxifrageas, Euphorbiaceas, Rutaceas, Fraxinellas, Onagras, Salicarias, Siliquosas, Fumariaceas, Papavereas, Podophylleas, Ranunculeas. Tertia denique sectio, quae aedibus est ex ista parte propinqua, Polygaleis, Leguminosis, Hypericinis, Resedaceis, Geraniis, Cistineis, Malvaceis, Oxalidibus, Violeis, Caryophylleis, Lineis, Portulaceis, Crassulaceis Rosaceisque consita, nobiliorem florum stirpem ab ignobiliori viae interiectae haud amplissimo spatio discretam ostendit.

Quaecunque aquam solumque udum ac paludosum amant, sicuti Scirpeae, Iunceae, Naiades, Hydrocharides, Polygoneae, Nymphaeaceae, hae plantae promiscue, natura ipsa legem scribente, mediam extremae fossae ripam, leni devexitate ad aquam descendentem, varia, prout species quaeque postulat, altitudine incolunt, vel ad superficiem aquae natant vitantque palos et scalpri vulnera. Eiusmodi sunt et aliae quaedam familiae, v. g. Cistearum nonnullae et Ericearum, quae stirpes ad arboreti mar-

gines graminosas hinc inde proprias sparsim incolunt areolas, humo arenosa et palustri sicciori, quam istae amant, ab imo repletas.

Pars ista horti, quam herbis perennibus, tam monocotyledoneis quam dicotyledoneis, tribuendam censebamus, ita descripta est, ut 4000 species commode recipiat. Quae nunc ex earum numero coluntur, 2100 species parum excedunt.

Haec itaque regio est plantarum vivaciorum perpetuaeque, si hiems faveat, viriditatis. Transeamus ad alteram, quae a meridie ad occasum duorum iugerum ambitu inter utraque plantarum hibernacula sita, planissima est et fere quadrata, tum sole gaudet maturo atque a ventis frigidioribus defenditur. Claudunt versus meridiem frutices; arborum hippocastani vetustarum series comosa ambulacrum obumbratum tegit, et fossam et viae publicae, ad occidentem trans aquam munitae, adspectum. In quatuor sectiones divisa, nunc quotannis haec horti portio 1100 plantarum annuarum speciebus conseritur.

Graminibus annuis propria quaedam areola tributa est, ab ista maiori vaporariorum lineis discreta.

Nomina plantarum, in solo aperto cultarum, tam annuarum quam perennantium, tabulis zinceis, cerussa verniceque tinctis et ope bacillorum ferreorum ad singulas plantas in terra defigendis, fuligine vernicata inscribuntur. Ducit nomen Generis, tabula litterisque maioribus e longinquo conspicuum; sequuntur iusto suo ordine nomina specierum t r i v i a l i a.

V a p o r a r i a plantarum annuarum areas istas ad occasum attingunt quatuor numero, tricenorum et binorum pedum longitudine, unaque serie satis longa procurrentia, fronte solem orientem et submeridianum aspiciunt; exstructa sunt lapide tabulisque quercinis crassioribus intus circumquaque coassata.

Restat, ut de aedificiis, ad servandas hieme plantas conditis, paucis absolvamus; quorum alterum, idque maius atque praecipuum, ab oriente et septentrione ad meridiem et occidentem 300 pedum longitudine uno quidem tractu

procurrit, sed varia est altitudine et intus, more solito, in plura spatia divisum. — Frigidarium medium occupat locum, altitudine 18 pedum, 80 longitudine. Tangit frigidarium a dextra intrantis, seu orientem versus, ea pars hibernaculi, quae Tepidarium appellari solet, plantas Capenses, Australesque praesertim fovens; ad occidentalem plagam Caldarium confine est; utrumque pedes 16 altum et 60 longum. Ad extrema omnis aedificii, et eius veluti alae, addita sunt humiliora singula caldaria, fenestris, angulo maiori propius plantas accedentibus, ad solem efficaciora.

Ad calefaciendum hiemali tempore inserviunt canales, e lapide cocto sub pavimento exstructi et ferreis tecti laminis, quae per intervalla parvis fenestris pertusae, ope bracteolarum, huc atque illuc movendarum, aërem tepidum, per duplicem ductum canales candentes utrinque circumfundentem, vel admittunt vel recludunt.

Altera adhuc est nobis aedicula, ad tropicas plantas alendas maxime idonea, sed ea tamen pars magis et altera ala dicenda maiorum aedium, tempore favente, et forte quandoque poscente, exstruendarum. Parvum hoc, de quo iam agimus, caldarium, longitudine pedum 80, latitudine 8, sex pedum altitudine, ope vaporum, e cacabo ab imo pavimento per terram corticemve coriariorum parva quaedam vaporaria, in isto caldario condita, intrantium, mirifice agit in plantas, per ramos recisos propagandas, quorum brevissimo spatio radiculas elicit; tum semina quoque, vel vetustiora minusque ad germinandum proclivia, eiusdem ope persaepe eo perducta sunt, ut laetam emitterent segetem.

Plantarum omnium, quae, in testis crescentes, hibernaculo vel caldariis conserventur, necesse est, 3000 circiter colimus.

Habetis hic, Lectores benevoli, quae forte aliquis Vestrum scire desideraverit; minora, ne taedio essemus, silentio transivimus.

Praefecti sunt horto Professor Botanices ordinarius et Inspector; regit diurnos labores Hortulanus Universitatis, Sinningius noster, et dexteritate, et eruditione, et strenua industria praestans; sub isto autem operi inserviunt maxime hortulani duo iuvenes, bene instructi; colunt operarii octo terram; discipuli duo, ab hortulano instruendi, ad manus sunt reliquis, et sane opus est coniunctis omnium viribus, ut superetur saepe nimium increscentis operis difficultas.

Bis per hebdomadem, diebus Martis et Veneris, hora tertia ad septimam post meridiem, aditus ad hortum patet omnibus, qui plantis vel docte student vel iisdem ad animi sinceram delectationem utuntur. Adire caldaria et hibernacula plantarum, nemini, nisi permittente, atque etiam ducente, hortulano licet. Peregrinatoribus, qui non nisi exiguum tempus in urbe commoraturi sint, accessus ad hortum per praefectos eius quavis hora concedetur, iis autem, qui rei botanicae in hac litterarum universitate student, praefiniuntur horae, ad frequentandum hortum idoneae. Collegis doctis et caris iubentibus semper adapertae sunt fores, clauduntur otioso et petulanti ambulatorum vulgo; neque praemio effringitur porta, neque venditur quicquam sollicitantibus, sed firma stat lege, ab ipsa natura sancita et REGIS POTENTISSIMI summa sapientia nobis praescripta:

> odisse vulgus, largiter autem conferri in doctos, reique herbariae veros cultores, quaecunque alma mater produxit et fausto iam apud nos sidere nutrit.

Explicatio delineationis adiectae.

a. Aedes Musei. *b.* Fossa. *c.* Areae plantarum monocotyledonearum perennium. *d.* Areae plantarum dicotyledonearum perennium. *e.* Plantae palustres et aquatiles. *f.* Area plantarum annuarum. *g.* Arboreta. *h.* Hibernacula maiora. *i.* Caldarium minus. *k.* Vaporaria. *l.* Pars agri inculta ante aedes Musei, suo tempore conserenda. *m.* Porta principalis, postea exstruenda. *n.* Portula horti altera.

DE CINNAMOMO.

ARGUMENTA CAPITUM.

CINNAMOMI APUD VETERES HISTORIA.

§. 1.

Nomen.

Nomen Cinnamomi e terris, quae gignunt cinnamomum, i. e. a populis orientalibus, in occidentem esse illatum, docet Herodotus, vocem κιννάμωμον e Phoenicia lingua disertis verbis deducens.

Phoenices autem hanc mercem Indico (Sanscrito) verbo, ab incolis sibi tradito, appellavisse, vero simile est.

Praeterea hoc etiam tenendum, quod Marshallius refert *), *Kagu-manis* (seu *Kaschu-manis*) in hodierna Malaium lingua dulce lignum (a *Cau*, *Cayu*, *Caschu*, lignum, et *nama*, per transpositionem *mana*, dulcis) significare, qua ratione a prima voce nomen Cassiae, ex utraque vero coniunctis, quod uno continuoque sono *Kainomanis* vel *Kainamanis* pronunciari, ab eodem Marschallio discimus, Cinnamomi solitam appellationem derivandam esse, facile persuademur. Accedit etiam aliquid ponderis isti sententiae e comparatis diversarum arborum vel cinnamomiferarum, vel istis saltem similium, nominibus Indicis, a Roxburghio et Careyo, viris praestantissimis, in »Horto bengalensi,« Serampore 1814 edito, p. 30 exscriptis, praesertim si rationem habeas originis Sanscritae et interpretationis, a Schlegelio, collega et fautore optimo, nobis traditae: Cinnamomo, quae in Ceylona Insula arbor nascitur, in lingua sacra Brachmanum nomen esse दारुसिनि *Dâru-sini* (quod Dar*oo*-sini et, errore forte typographico, Dar*oo*-sit*i* a Careyo scribitur), idemque in lingua vulgata Bengalensium hodie *Dar-tschini* (Dar-ch*ee*n*i*

*) *Annals of Philosophy*. October 1817. n. LVIII. p. 255.

Carey) pronunciatum; alteri autem arbori, quam eandem terrae Indiae continenti indigenam, veteribus primam cinnamomi messem largitam esse existimamus, genuinum in lingua Sanscrita nomen tribui त्वक् *Twak*, eiusque foliis त्वक्पत्र *Twak-patra* (Twuk-putra Carey), quod nunc corruptius Bengalenses populi *Tej* et *Tej-pat* (*Tedsch* et *Tedsch-pat*) exprimere dicuntur; in Amara-Kosha et Lexico Wilsoniano etiam scriptum invenimus त्वच *Tvăchă* et चोच *Chócha*, (Twatscha et Tschotscha germanice reddenda), tum aliam appellationem, वराङ्गक Varangaka (Warangaka) pulchre divisum vel articulatum; quae quidem omnes Lauro Cassiae L. (*Woody Cassia*) ab auctoribus tribuuntur. *) दारु *Dâru* in lingua Sanscrita significat lignum; eandem vero significationem habent vocabula *Dâr* Bengalensium (ab Arabibus et Persis ad cinnamomum denotandum دارصيني vel دارسيني, i. e. *Dar-djini* vel *Dar-zini*, usurpatum).**) *Kayu*, *Kaschu*, *Kau*, *Kagu* linguae Malaicae, *Coronde* vel *Curundu*, (etiam *Cuurdu*) Cingalensium, al. Ex altera autem parte त्वक् त्वच *Tvak* vel *Tvacha* (*Twak* et *Twatscha* pronunciabis) atque *Chócha* Sanscrita, et *Tej* (*Tedsch*) Bengalensium cutem seu corticem librumve arboris significare, a Schlegelio, viro illustri, edocti sumus.

Quae cum ita sint, Ceylanensem Cinnamomi arborem a ligno, Malabaricum contra a cortice nomen duxisse, apertum est, utramque credo, ob odoris et saporis praestantiam, ita tamen, ut arbori indigenae, utpote quam ipsi tractare solerent incolae, nomen imponeretur eius partis, quam plurimi facerent in illa homines, quemadmodum nostris diebus Medicorum permulti Corticem peruvianum corticem, nullo alio discri-

---

*) Cinnamomo Ceylanensi nullum in Amara-Kosha est nomen solamque Cassiam lingua Brachmanum antiquissima in censum vocat, quod sane probare videtur, hanc arborem veram esse Cinnamomi, a veteribus laudati, matrem eamque plurimorum sententia summa virtute potentem; cinnamomum ceylanense vero, Indiae antiquae incognitum et a peregrinis mercatoribus allatum, peregrino etiam cognomine fuisse appellandum.

**) *Dar-sini*, e linguae Arabicae primis radicibus minime exortum, isti potius una cum cinnamomo ex India orientali illatum esse videtur.

mine verborum addito, solent appellare. त्वक्पत्र *Tvăk - pătra* et *Tej - pat* coriaceum folium interpretamur, quod eadem fere ratione et Folium indum, et Folium simpliciter appellatum esse constat. Restat, ut in vocem *Sini*, quam *Dâru* illi additam, Ceylanensis Cinnamomi nomen Sanscritum constituere perhibent, Viri, linguae huius difficillimae periti, inquirant explicentque, an idem, quod *manis* illud linguae Malaicae, valeat, an sinense, quod aliis placuit, lignum significans, mercatorum Sinensium navigationes et famam prodat memoriae?

Antiquiorem autem Herodoti temporibus eandem vocem sensu eodem relatam invenimus in Libris Sacris, ubi Exod. XXX v. 23 קנמן - בשם suave Cinnamomum, suave aroma, laudatur, tum Cant. IV v. 14, et Prov. VII. v. 17 קנמון Cinnamomum: »aspersi cubile meum myrrha et aloe et cinnamomo.« — Ier. VI v. 20 verba: קנה - הטוב culmus, fistula seu tubus, in versione Lutheri *Zimmtrinden*, alia significatione describere magis formam, quam appellare cinnamomum paterno sono videntur. Utcunque autem haec accipiantur, fatendum tamen, voce Cinnamon, a Sacra Scriptura tradita et aperte inter aromatum diversa nomina relata, antiquissimam huius praestantissimae mercis historiam nobis recludi.

§. 2.

Circa etymologiam nominis commenta.

Multum laboravere veteres, tam Medici quam Philosophi, in derivandis et explicandis vocabulis Cassia et Cinnamomo. Ex his qui frustra rem tentavere difficillimam, eorum longum foret repetendo extendere errores. Afferimus nonnulla, quae eundem fontem produnt vel sono, vel littera scripta turbatum, vel quoad significationem male intellectum.

Huiusmodi nobis videntur, quae de Sinensibus seu verbo: China, tanquam Cinnamomi nominis origine traduntur, scilicet quod Sinenses primi aut saltem praecipui fuissent, qui olim hoc aroma mercatum deportaverint, ab illis mercem tulisse nomen: sic apud Arabes *Dar Chini* (seu rectius *Dardjini* *) *Seylane* i. e. lignum Sinense e Ceylan Insula, *Kerfah* (vel Kirfah قرفة) autem

*) Conf. Anton. Comment. in Mes. Antidot. 1543. p. 38.

ab iisdem populis appellari Cinnamomum malabaricum.*) Apud Persas eodem sono *Dar Chinei* et vel inter Indos hodiernos quoque Dar Chini, vix aliter nisi diversa enuntiatione distinguendo. Ipsis Sinensibus Cinnamomum audit *Quei tschau* vel *Quei scheu;* quae ultima vox: *tscheu* vel *scheu* arborem vel lignum significare fertur; hinc itaque arguendum, *Quei* illud, peregrinam Sinensium linguae vocem, congruam esse sonis *Ci*, *Casi*, *Caschu*, Malabarico, seu Cassiae linguarum occidentalium, initiumve constituere vocabuli Cinnamomum, alteram autem verbi partem *scheu* nihil aliud esse, ac *chocha* (*tschotscha*) linguae Brachmanum, seu *Tedsch* Bengalensium, adeoque *Quei-scheu* significare arboris corticem. — Dexbachius**) Cassiae nomen haud male a voce hebraica קצע, decorticavit, derivandum esse docet. — *Cinnamomum* autem a Graecis appellatum quasi *Sinense amomum****), iam ex eo falsum declaratur, quod vox Amomum isto sensu apud Graecos non magis in usu fuit, ac *Sin* seu *Kin*, e populorum Sinensium lingua derivatum.

Similem habet Cassiae nominis explicationem C. Bauhinus †): *κασσία* sive *κασία*, quasi *κοσμῶσα διὰ τῆς εὐοσμίας τὰς αἰσθήσεις.*

---

*) Est etiam alia cinnamomo apud Arabes appellatio أَرْمَال sive أَرْمَاك (*Armal* sive *Armac*) incertae adhuc originis. Ad vocem قرفة sequentia e Firuzabadi Lexico magno linguae Arabicae adnotavit Freytagius, collega coniunctissimus: قرفة (kirfah) speciem esse دَارْ سينى (Dar - zini); ad hoc enim pertinere genuinum *Dar-zini*, cui etiam nomen vulgo imponere soleant: *Dar-zini Alzin*, i. e. *Dar-zini* chinense. Corpore esse pingui (crasso) calido fractuque facili. Huc etiam referri verum *Kirfah*, rubro colore, tactu laevissimum (i. e. molle); ad dulcedinem hoc accedere, rudi esse superficie, odoris aromatici, saporis acris et mordacis. Eiusmodi haberi *Kirfah Alkaranfol* (Kirfah caryophyllorum) appellatum, idemque tenue, durum, in nigredinem vergens et neutiquam fragile, in quo odor caryophyllorum nunquam deprehendatur. His omnibus vim inesse calefaciendi, leniendi, excitandi, exsiccandi, etiam conducere ad corroborandam memoriam.

**) I, G. Dexbach Diss. de Cassia Cinnamomea et Malabathro in Valentini Hist. simpl. ref. p. 597.

***) Cl. Garc. Arom. I. 169.

†) Pin. p. 408.

§. 3.

Historia autem Cinnamomi et prima eius cognitio cum primum ab oriente, fastu quodam verborum, ut gentibus illis mos est, fortassis inflata, quin Phoenicum, lucri cupidissimorum, mendaciis implexa, ad Occidentem pervenisset, excepta est a Graecis, quorum divino ingenio factum est, ut suavissimo isto Herodoteo mytho*) Cinnamomi vera historia memoriae nostrae non proderetur magis, quam subtraheretur: Quomodo crescat Cinnamomum, vel ubi terrarum gignatur, neminem exploratum habere, nisi quod, probabili ratione usi, id gigni perhibeant in iis regionibus, ubi Dionysus educatus sit. Has autem festucas, quas, a Phoenicibus edocti, Cinnamomum appellent, a grandioribus quibusdam alitibus afferri**) nidisque, rupibus inaccessis ope luti agglutinatis, insterni. Tum Arabes, callido invento usos, iumentorum interemtorum membris, in maiora frusta concisis et iuxta nidos positis, procul abscedere. Quo facto, cum aves, ad praedam delapsae, gravissima haec frusta ad nidos suos comportaverint, his sustinendis impares nidos ad terram labi discissos, eaque ratione Cinnamomum ab Arabibus colligi et in alias regiones dimitti.

Hoc loco si viri quidam eruditi pro κάρφεα legisse videntur καρποὺς, lubenter nos id quidem concedimus, Cinnamomi fructus vel semina ab avibus posse auferri, quo fiat, ut arbor haec pretiosa in alias remotasque a patria regiones invehatur, sed quomodo, si haec ita accipiantur, sententia, in antecedentibus expressa, cum istis concilianda sit, prorsus ignoramus. Itaque Thunbergio, celeb. viro ***), in eo, quod ad propagationem Cinnamomi arboris attinet, lu-

---

*) Herod. Lib. III. c. 111.

**) Κιννάμωμον ὄρνεον Arist. Hist. an. Lib. 9. c. 14. Nidificare istud Cinnamomi arboris ramulis; decussis itaque plumbatarum sagittarum ope nidis, cinnamomum ab indigenis colligi. — Repetit verba haec Plinius Lib. X. c. 33., sed avem Cinnamolgon vocari ab Arabibus narrat; (ubi forte Cinnamologos pro Cinnamolgos legendum.) Arabiam patriam addit. Conf. porro lib. XII. c. 29., ubi de Cinnamomo verba faciens, has narrationes ipse fabulosas appellat avemque Phoenicem fingi asserit.

***) *Resa* IV. p. 185.

benter accedentes, Herodotum tamen, cum longe diversa, sed ea vero neutiquam his repugnantia, prodiderit, defendi posse censemus. Ponas, gentibus, vel ipsam Cinnamomi patriam vel proxima illi littora colentibus, Cinnamomi praestantiam primum innotuisse delapso avis cuiusdam grandioris nido, partim ex huiusmodi ramulis exstructo; quod si forte eadem ratione, quam arte quaesitam loco citato Herodotus laudat, evenisset, pondere scilicet escae, nimis accumulatae, cui sustinendae impar nidus quidam, a rupe solutus, in terram decidisset, quid mirum, homines incultos, neque arborem, ligni suavis matrem, statim e ramulo cognovisse, et stupefactos tum novitate et admiratione rei tum insolita vi ligni et dulcedine, in arborem, a qua profecta essent haec frustula, prorsus non inquisivisse, sed potius in eo acquievisse, ut statuerent, tantam ligni praestantiam, minime ex his proximis magisque mortalibus terris gignendam, e regione multo remotiori eaque paradiso illi cunctarum gentium proxima, per aethera ab alitibus deferri. Quae si ita facta essent, (potuisse autem sic accidere, quis negabit?) sequitur, magno semper pretio habendam fuisse rem, tantis difficultatibus circumventam summaque industria e variis, quae nidum constituerent, ramorum stratis seligendam. Iuvat etiam, sibi persuadere, non semper mendacia dixisse mercatores Phoenices.

Cassiam, quam in paludibus crescentem memorat Herodotus *), aliam fuisse, atque eam, quam nunc Lauri cuiusdam corticem cognovimus, nemo dubitat. Scitaminearum scilicet aliquam radicem vel etiam scapum odoriferum antiquissimis illis temporibus Cassiae nomine in usu fuisse suspicor; hanc autem veterum Cassiam, cum Lauri Cassiae cortice serius invenies confusam et usque adeo vel doctissimis medicis incognitam, ut Galenus ipse Cassiae et Cinnamomi nomina non solum promiscue haberet, sed etiam, de Cassia loquendo, mirifice verbis luderet.

Hippocrati Cinnamomum et Cassiam verbo magis quam re ipsa cognita fuisse, constat. **)

Theophrastus***), de Cinnamomo et Cassia verba faciens, propria haec

*) Lib. III. c. 110.

**) Sprengel Hist. rei herb. I. p. 42.

***) Hist. plant. L. IX. c. 5.

adfert: Utrosque frutices esse Viticis (Agni casti) magnitudine, multis lignosisque ramis praeditos. Cinnamomo ramulos tenuiores, Cassiae vero crassiores *) fibrososque tribui et cortice non exuendos; tamen et huius solum corticem in usu esse. Concidi itaque ramos in frusta duorum digitorum longitudine, recentique corio haec circumvoluta, praesui, quo facto, ex ligno et corio una putrescentibus exortos vermiculos, corrodere lignum, cortice ob amaritudinem eius relicto. Contra haec Cinnamomum totum abscissum (i. e. ramum) in quinque dividi partes, earumque extremam ab apice spithamae longitudine optimam haberi, plurimum enim in ista inveniri corticis, paucissimum autem ligni inutilis **), reliquas ordine partes minoris esse praestantiae, quo magis sint inferiores, proximum autem radici corticis (*φλοιοῦ*) minimum habere ideoque vilissimi pendi. Fabulam addit de serpentibus, venenato morsu perniciosis, quae stagna nativum Cinnamomi fruticis solum, tueri ferantur ***). — Haec, tametsi fabulosa quaedam accedere videantur, satis superque tamen probant, puram Cinnamomi et Cassiae mercem Theophrasti temporibus adhuc venisse neque alieni quid (a Theophrasto saltem) cum Cassia esse confusum. Proxima vero se sequuntur, (Hist. pl. l. 9. c. 7.) *κινάμωμον* et *καρδάμωμον*, et, in libro de Odoribus 34 (ed. Schn. p. 744.): *παραπλησίως δὲ τούτοις ἡ τῆς ἀκμῆς διαμονὴ καὶ τοῦ κιναμώμου, καὶ τοῦ κόστου καὶ τῆς κασίας.*

Dioscorides l. 1. c. 13. Cinnamomum, et l. 1. 12. Cassiam ita tractavit, ut ex eius verbis, infra adiectis, facile intelligatur, eum Cassiae veterum et Cinnamomi genuinas apud barbaros appellationes subintellexisse. — Cassiam †)

---

*) Παχυτέρας (al. *πλατυτέρας*) *ἔχειν ἰνώδεις δὲ σφόδρα, καὶ οὐκ εἶναι περιφλοῖσαι.*

**) Haec recte diiudicata esse, quisque intelliget, qui ramuli nascentis naturam animo simul perpendat. Crassior quidem est cortex, per se spectatus, partis ramuli inferioris seu vetustioris; comparatis autem inter se, quoad molem, ligno et cortice, hunc (i. e. corticem seu cellularum, praesertim fibrosarum, compagem) in apice ramuli tenello longe crassiorem invenies.

***) Eadem fere Herodotus habet de Cassia, a turba Vespertilionum rabidarum defensa.

†) Cap. XII. Κασία — *ἔχει δὲ ῥάβδον παχύφλοιον, φύλλα δὲ ὡς πεπέρεως· ἐκλέγου δὲ τὴν ἔγκιῤῥον, εὔχρουν, κοραλλίζουσαν, στενὴν λίαν, μακρὰν καὶ παχεῖαν τῶν συριγ-*

enim refert indigenis *ἄχυ* appellari, a mercatoribus Alexandrinis autem *δαφνῖτιν*.*) Sub altera, quae sequitur, Cassiae propria specie, praestantiore ea maiorisque virtutis, nigra, purpurascenti simul et crassa, quam ob odorem Rosae Gizir appellatam esse docet, Lignum rhodium latere vix dubitabis. Post duas has species tertia etiam laudatur, eaque tam odore quam sapore Cinnamomo prae aliis simillima**), cui Mosylitici Blasti cognomen imponitur. Reliquas omnes viles haberi, e quarum numero unam, Aphysemon quae appelletur, nigram esse et iniucundam corticeque tenui aut interdum rimoso, alias autem species viliores *Moto* et *Darca* vocitari. Haec de Cassia; ex quibus iam colligitur, Cassiam illam secundam, nec non et tertiam, Mosilyticum germen seu frondem vocatam, Cinnamomo nostro crassiori proximas esse habendas.

Longe alia autem sunt, quae Cap. XIII de Cinnamomo refert: Praecipuam esse eam speciem, quae ob similitudinem Cassiae mosyliticae, Mosylitis nuncupetur***), coloris vinosi, e nigro cinereoque mixti, laevibus baculis, superficie aequa, ramulis continuis (crebris) praeditam suavissimeque olentem, sentiri tamen una cum optimo illo proprioque odore aliquid Rutam spirans simileve Cardamomis; saporis esse acris et pungentis, subsalsique cum calore; inter frangendum autem fibrosam. Suadet porro Dioscorides, in probando hoc Cinnamomo eligere surculos, ex una radice ortos, scilicet ne permixta frustula deteriora meliorum suavi halitu imbuantur. — Praeter hoc autem alterum quoque recensetur Cinnamomum montanum, crassum, humile,

---

γίων πλήρη, δηκτικὴν ἐν τῇ γεύσει καὶ στύφουσαν μετὰ πολλῆς πυρώσεως, ἀρωματίζουσαν, οἰνίζουσαν τῇ ὀσμῇ.

*) Lauri similitudo iam tum temporis homines non effugit.

**) *Τὰ βεβαιότατα γνωρίσματα κινναμώμου διὰ τῆς γεύσεώς τε καὶ ὀσφρήσεως γινόμενα.*

***) L. c. *Κιννάμωμον — — τῇ χροᾷ μέλαν, τεφρίζον ἐν τῷ οἰνώδει, λεπτὸν δὲ τοῖς ῥαβδίοις καὶ λεῖον· ὄζοις συνεχέσι κεχρημένον, σφόδρα εὐῶδες· — εὑρίσκεται γὰρ μετὰ τοῦ ἀρίστου καὶ ἰδιάζοντος ἡ ὀσμὴ πηγανίζουσα, ἢ καρδαμώμῳ ἐμφερής. ἔτι καὶ δριμὺ καὶ δηκτικὸν τῇ γεύσει καὶ ὑφαλμυρίζον μετὰ θερμασίας, καὶ ἐν τῷ θραύεσθαι χνοῶδες.*

admodum fulvescens; itemque tertium nigrum et valde odoratum: εὐερνῶδες δὲ καὶ οὐ πολυγόνατον. Quartum album est, fungosum, aspectu tuberosum fragile ac vile, μεγάλην ἔχον ῥίζαν κασσιζοῦσαν. — Quintum odore nares ferit, fulvescit corticemque habet, Casiae rufae simillimum, tactu autem solidum minimeque fibrosum, radice crassa praeditum. — Quis hic non videt, Cassiam illam rufam et misyllitica m Cinnamomi fistulas esse, Dioscoridis temporibus iam forte a gentibus orientalibus artificiose paratas, nigram autem Cassiam cum tertio illo seu nigro Cinnamomo in ramulos cinnamomi, integros decerptos sive ab avibus revera ablatos, melius congruere, denique omne illud, quod Mosyllitis appellabatur, Cinnamomum, tum quartum et quintum, quorum radices cum ipsis surculis adferebantur, quam longissime abesse a vera Cinnamomi indole, utpote quae multo magis ad Cardamoma, vel ad aliud quodcunque Scitaminearum aromaticarum acriumque genus pertinuisse videantur. His omnibus autem optime illa, quae supra ex Herodoto allata sunt, respondent.

Plinius post haec, inter Romanos,*) Herodotum refutans, legendo atque scribendo, quae nunquam adspexerat, erroribus multis gravissimisque totus succubuit. In Aethiopia nasci Cinnamomum (quod etiam Cinnamum scribit) ibidemque a Troglodytis coëmtum, navium periculoso et rudi cursu in portum Gebanitarum, qui Ocila**) vocetur, deferri; revehi ab illis vitrea et ahena, vestes, fibulas etiam cum armillis et itaque feminarum maxime fide istam negotiationem constare. — Quod si solam patriam respicias, a Plinio hic Cinnamomo assignatam, clarum est, Cinnamomum hoc Plinianum, quod ex Africa devehi narrat, vel alium fuisse diversissimumque a nostro aroma vel, quod magis arridet, Autorem summum, opinionum, ab eo con-

*) Hist. Mund. l. XII. c. 19.

**) »Ocilam Gebanitarum portum esse Chingalarum, sive Ceylam insulae,« Clus. Opp. II. p. 171.

quisitarum multitudine et repugnantia obrutum deceptumque, falsa prodidisse. Porro autem distinguit Cinnamomum a Cassia: »Illius frutici duorum cubitorum summam altitudinem esse, palmi minimam, crassitiem digitorum quatuor; arido simile esse(?) cum virescat, non odoratum, foliis Origani, gaudere solo sicco gignique in planis inter vepres et rubos, difficile collectu.« Haec certe Cinnamomum non olent, sed quae sequuntur, e Theophrasto excerpta, iam melius congruunt. — Cortici, i. e. libro, maximam vim inesse, itaque praecipuam bonitatem tribui virgulorum tenuissimis partibus, ad longitudinem palmi (ab apice ramuli metiendo), secundam proximis breviore mensura et ita ordine; vilissimum haberi, quod radicibus proximum, quoniam ibi minimum sit corticis seu libri *); praeferri itaque cacumina. — Ipsum autem lignum in fastidio esse, propter Origani **) acrimoniam, idque Xylocinnamomum vocari.

Quae ex his sequuntur, ita explicamus: Plinium, tametsi de planta viva nihil unquam accepisset, ramos tamen Cinnamomi integros, (e cortice et ligno constantes), exsiccatosque satis cognovisse, qui ergo veterum Romanorum Cinnamomum sunt habendi. Verum quod abraso cortice lignum, seu Xylocinnamomum, acrem Camphorae (seu Origani) odorem spargeret, per id inductus, vel Plinius ipse, vel alius quispiam, frutici folia quoque Origano similia affixit. Firmantur haec etiam istis, quae l. c. de colore Cinnamomi nigro et albo legimus; namque apices ramulorum recentes et tenerrimi exsiccando nigredinem induunt, pars media autem albicat ob epidermidem residuam. — Iuvat repetere, quae de Cinnamomi apud Romanos pretio Plinius refert: scilicet in libram singulam pretium fuisse Xylocinnamomo denarios vicenos, (circiter duos Thaleros Boruss.)— optimo autem Cinnamomo in libras denarium millia (100 Thaleros); id pretium denique dimidio esse auctum, incensis ira barbarorum silvis.

---

*) Silet hic Theophrastus; succedit alia vox.

**) Camphorae?

Quod vero radicem se vidisse, ait, Cinnamomi magni ponderis, in templo quodam palatii aureae paterae impositam: »ex qua guttae editae annis omnibus in grana durabantur«, de olei cuiusdam aetherei vaporibus intelligimus, ad aërem coagulantibus vel in crystallos mutatis.

De Cassia haec habet Plinius: Et hanc fruticem esse iuxtaque Cinnami campos crescere, sed in montibus, crassiore sarmento, tenui cute potius, quam vero cortice (librum intelligas, a cortice denudatum), quem contra, atque in cinamomo, levari atque exinaniri pretium sit. Consecatos binum digitorum surculos mox praesui recentibus coriis quadrupedum, ut iis putrescentibus vermiculi lignum erodant.— Inferiorem corticem candidum esse, medium, a pedis mensura ad alterum dimidium, rubescere, quod ultra, nigrum inveniri; damnari candidam partem, laudari rubescentem nigramque. Ex his colligimus, Cassiam Plinii nostrum esse Cinnamomum, arte paratum et solito more in fistulas convolutum. Quae de coriis et vermibus adduntur, Herodoti illa damnata levitate leviora veraque mendacia mercantium, qui coriis ad merces involvendas forte uterentur. — Addit: Cassiam optimam purpuream esse et ferventem, levissimamque pondere et tenacissimam Lactam vocari barbaro nomine. Optimae pretium esse in libras denarios quinquaginta (5 Thaleros), caeteris quinque (16 Grossos.)

Isocinnamomum, seu daphnoiden Dioscoridis, obiter memorat Plinius pretiumqne huic tribuit denariorum trecenorum (30 Thalerorum), quod cum styrace adulterari conqueratur, certó id cinnamomi cortici nemo comparabit, nisi qui idem, ἄχυν appellatum, tertiam melioremque Cassiae speciem laudari a Dioscoride, meminerit.

Cassia illa, quae, coronaria appellata, circa Apum alvearia olim serebatur, a vera Cassia medicorum diversissima est. Daphnen Cneorum sub ista intelligendam esse, haud vanis argumentis docuit Matthiolus in Dioscoridem (ed. Valgr. p. 46.)

Galenus *) Cassiae sublimis ramosae et fruticis aemulae surculos,

---

*) De Medic. simpl.

Cinnamomi surculis simillimos, ait, se vidisse, corticis tenuitate et firmissimis Cinnamomi notis in odore et gustu deprehensis; quibus itaque evincitur, utrumque aromatum genus, artificiosum nempe et rude, cum ab acuto observatore ad ipsam naturam ramosque integros, siccos tamen, compararentur, iam distingui non amplius potuisse, voceque etiam, uti forte reapse erant, promiscue esse usurpata.

Idem libro I. de antidotis*) refert, Cinnamomi truncum in arca, $4\frac{1}{2}$ cubitos longa, Romam perlatam esse e barbarorum terris seque ex eius cortice Theriacam praestantissimam M. Antonino, imperatori, paravisse. Mox autem addit: colorem esse Cinnamomo, qualem si quis lacti nigrum colorem admisceat atque aliquantum coerulei; nullum vero, veluti truncum, in ramos plures dividi, sed Veratri utriusque figuram prae se ferre, atque etiam magis Damasonii, quod e Creta ad nos adfertur. Descriptio, quam exhibet Cinnamomi, haec est: Quaevis autem Cinnamomi species ab una radice, ceu frutex quidam parvus, consurgit, emittitque illa sex, haec septem virgulta, vel paullo plura pauciorave, non aequali tamen omnia longitudine, verum quod maximum est, pedis Romani dimidium non excedit. — Liquet ex his, si cum antecedentibus comparantur, tunc temporis inter eas Cinnamomi species, quae, a diversis Imperatoribus magno sumtu in usus medicos et ad unguenta comparatae, Romae asservabantur, duplicis generis plantas fuisse: alterum arboreum, quod Cinnamomi arboris arbitramur, alterum vero herbaceum et Scitaminearum modo crescentem, idemque, quae aliis Cassia proprie appellabatur, Amomo vel Curcumae cuidam, vel Zingiberi potius, quam Cinnamomo aequiparandum, ut itaque, Amomi et Cardamomi et Cinnamomi nominibus ob soni similitudinem inter se confusis, scriptorum veterum summa in his rebus obscuritas, et verborum proxime iunctorum fere contradictio inde oborta esse videantur.

---

*) Ed. Basil. 1542. Vol. 5. p. 387.

§ 4.

Itaque de Cinnamomo et Cassia veterum Graecorum et Romanorum disquirentes, haec tandem statuimus: ramulos integros fuisse, e ligno corticeque coniunctis, quibus, cum non nisi sicci adferrentur, cortex detrahi non potuerit. Verum, quod eodem tempore detractus ab incolis vivi arboris cortex fistulaeque ad instar convolutus mercium usu obviam esset, eundem ab hominibus, verae originis eius ignaris, pro diversissimae cuiusdam stirpis, eiusdemque arundinaceae vel scitamineae culmo integro esse reputatum. Differentiam autem ipsius corticis, a crassitie, colore et reliquis signis eius petitam, multo serius inventam esse, cum ramulorum exsiccatorum usu iam abolito, antiquissimae tamen huius distinctionis memoriam firmiter homines tenerent et pro varia corticis natura discrimen in eo ponerent, quod illum, qui durior inveniretur, corticem Cassiam ligneam, vel ligneum Cinnamomum appellarent, tenui vero libro, una cum cortice novellis ramulis exuto, Cinnamomi nomen et honorem tribuerent. *)

§ 5.

Et magno quidem acumine eadem haec pridem perspexit, qui inter primos Dioscoridem explicandum aggressus est, Valerius Cordus **), luceque clarius exposuit: 1° Cinnamomum a Cassia differre; 2° »corticem esse Cin»namomum, canali convoluto similem ideoque Canellam quibusdam vocari, »nobis vero *Cimmetrinden*, *Cimmetröhren*, *Cimmetborken* et *Cinnamei*, »Graecis vero Characium, hoc est vallare.« — 3° Cassiam veram, quorundam diligentia huius Autoris tempore post longam oblivionem rursus in nostras terras illatam, »tantam cum Cinnamomo habere similitudinem, ut alterutra in alteram »non raro degeneret; esse tamen Cinnamomi veri et unici Cassiaeque specierum »plures differentias, inter se quidem valde cognatas, ut temerarium foret, »pronunciare, nos in totum quovis Cinnamomo destitui.« — 4° »Cassiam, de qua

*) Conferas Dexbach. de Cassia in Valentini Mant. Exot. Ac. p. 601.

**) Annot. in Ped. Diosc. Libros de Mat. Med. 1561. p. 3.

»apud Dioscoridem agitur, Cinnamomo cognatam esse arbusculam, eiusdemque »ramulos et surculos, si cum ipso cortice, ligno adhuc inhaerente, vendantur, »Xylocassiam appellari, verum si exemto ligno cortices tantum adportentur, »Cassiae Syringitis vel Syringis nomine venire. Talem esse Cassiam »Fistulam, seu fistularem, veterum; eam autem caute distinguendam esse a Cassia Fistula Arabum, seu nigra Cassia Graecorum, quae fructus procerae sit arboris, in India nascentis; 5° denique veram Cassiam fistularem et ligneam multis saeculis in Europa visam non esse, sed eius loco vendi corticem radicis cuiusdam, gustu tenuem atque acerbum, quem, erroribus suis pertinaciter inhaerentes, etiam illata rursus vera Cassia, Pharmacopolas in usu retinere, iure conqueritur. — Conf. etiam de his Clus. Arom. Lib. I. p. 169.

§ 6.

Male autem diiudicantes ea, quae a veteribus de Cinnamomo et Cassia scripta invenerunt, rem omnem temere et ridicule permiscuere Arabes Medici, cuius praeclarum exemplum habes in Antonii Medici supra citatis Commentariis in Antidotarium Ioannis Filii Mesue*). — Probat ille quidem, Darseni, seu Darsini, in Arabum lingua idem valere, quod Cinnamomum seu Cinamomum, utrumque autem, simpliciter scriptum vel addito quoque cognomine masoliticum vel mausoliticum (i. e. mosylliticum), significare Cinnamomum electum et optimum; ab isto vero distingui Cinnamum seu Cinamum, quod Arabes Kerfe vocant, ceu deteriorem Cinnamomi speciem, ut scribi possit: Darseni Cinnamum, seu Darseni vel Cinnamomum Kerfe, i. e. Cinnamomum vilius. Cavendum tamen, ne Cinnamum confundatur cum Cymino, vel etiam Darseni cum Darsisahan, qui sit Aspalathus. — Tum vero, post multa de veterum tam Graecorum Romanorumque, quam ipsorum Arabum verbis disputata, comparatis notis omnibus, Cinnamomo ab illis tributis, cum eo, quod tunc temporis Cinnamomi

*) Dist. I. c. 23. p. 38. ed. 1543.

nomine vendi solebat, acriter contendit, nullum omnino hac sua aetate in istis terris reperiri Cinnamomum, neque electius, neque deterius quodcunque, sive Darseni et Kerfe, sed eorum loco ubique in usu esse Cassiam veterum (rectius Casiam, simplici *s* scribendam), quippe quae veterum verbis de isto aromate bene respondeat; graviter autem errare eos, qui simplici dosi eam, ut Cinnamomum, in medicamentis adhibeant, cum veterum auctoritate pro simplici Cinnamomo duplex pondus vel optimae Casiae sit substituendum. Vocari apud Arabes Selicham, vel Seliacham, vel Seliche, et iure pro Cassia Fistula veterum haberi, quam autem serius Cassiam Fistulam appellavissent, eam arabice vocari Eiaxamber vel Chaiarsandar, et ad alvum laxandam propini. Haec Antonius; e cuius verbis duplicis erroris fontes cognosces verbaque inania pro rebus ipsis posita, mox autem ea cum re praesente, quam diversa aetate parumque mutata forma descripserunt, male composita et tanquam corpus a corpore discreta.

§ 7.

Quae veteres Graeci et Romani de Cinnamomo tradiderant, ea strenue collegit Manardus*), quem secutus Garcias**), Cinnamomi historiam lucide quidem exposuit, sed tamen in eo peccavit, quod omnes omnino Cinnamomi et Cassiae atque Canellae tam apud veteres, quam apud recentiores, differentias reiecit et omne Cinnamomum ex una eademque arbore proficisci asseruit: »didicisse se ex annalibus urbis Ormuz, Sinenses, aurum, sericum, vasa murrhina, moschum, cuprum, margaritas aliasque huiusmodi merces vehentes, cum ad Malacae littora appulissent, venditis quibusdam ex his, sandalum, nucem moschatam, macin, caryophylla, lignum aloes etc. contra in suas naves inferre, quae rursus in Zeylan et Malabar divenderent indeque sumerent Canellam, ex Zeilan videlicet laudatissimam et ex Malabar minus selectam, similiter etiam e Iava, unde piper quoque et cardamo-

---

*) Epist. L. 8. ep. 1.

**) De arom. e vers. Clusii (ed. Plant. 1605. Cap. XV. p. 108.

mum eveherent; eaque omnia deinde Ormuz, aut in Arabiae oram maritimam deportari. Hos autem omnium, quibus pretia mercium augerent, commentorum, ab Herodoto proditorum, fuisse inventores.«

Garciam rem optime intellexisse, ex eo nobis persuasum est, quoniam se in India plura quam duo non observasse genera Cinnamomi affirmat, videlicet quod in Ceylan nascatur et quod in Iava et Malabar. Illud praestantius esse, et e tubulis constare tenuioris substantiae, interdum tamen etiam ignobilius istud ipsum inveniri, quale sit, quod crassiori sit cortice minusque in tubulos convolvatur. Quae vero in Malabaria nascantur, tota fere esse ignobilia, tantumque a Zeylanicis differre, ut centenae Zeylanici librae decem aureos pendant, Malabarici vero librae quadringentae unum dumtaxat aureum.

Caeterum similes dicuntur ab Autore utriusque Cinnamomi seu Canellae arbores *): Oleae magnitudine, interdum minores, multis ramis praeditae, non iis quidem contortis, sed rectis, foliis Lauri quidem colore, sed forma ad Citri folia accedente, floribus candidis, fructu nigro et rotundo, exiguis olivis simili.

Canellam nihil aliud esse, ac interiorem ligni corticem, e ramulis digiti crassitie delibratum et ad solem siccando convolutum, cuius et ardore rubrum colorem contrahat. Lignum insipidum esse, saligno simile.

Clusius ipse ramulos iam viderat integros, tum in Belgio apud Nicolaum Valdauram, Brugensem, et alium quendam clarissimum virum, Carolum a D., Audomarum, tum anno MDLXXI Bristolii apud Thomam Redigerum, — quorum luculentam descriptionem et nitidam imaginem paginae 171 operis sui addidit.

Canellam albam, Americae meridionalis inquilinam, disertis verbis idem Clusius iam distinguit, nullamque et in Africa huiusmodi arborem gigni, demonstrat.

---

*) Malabaricas illas Cinnamomi arbores Zeylanicis minores semper inveniri, non tamen humiles, quales a Plinio et Galeno l. c. describuntur.

Absolvit hic itaque, quam primus fere tetigit, Cassiae et Cinnamomi, i. e. Canellae officinarum, historiam.

Sed etiamsi de arbore Cinnamomi recte iudicaret Clusius, iconem tamen ramuli cum foliis non exhibuit, quid, quod Malabathri ramum fingens (Arom. p. 178), in eo Garciam secutus sit, quod Canellae folium ab eo Malabathri defectu nervorum distingui doceret. Optime vero pinxit (l. c. p. 181) Caryophylli aromatici ramulum, mirum ut videri possit, folium Cinnamomi a Matthiolo pro Caryophylli folio reddi, cuius effigiem postea Camerarius et Tabernaemontanus (*Kräuterbuch* p. 1518) Caryophylli ramulo fructifero, Flores Cassiae offic. cum Anthophyllis confundentes, mirifico mendacio ita adponendam curavere, ut, nisi fructuum figura repugnet, haud malam Cinnamomi iconem in ea videre putes, dubiusque semper haesites, an folia floribus, an potius flores, qui inflorescentia etiam sua ad Cinnamomi similitudinem in istis figuris accedunt, foliis, quae Cinnamomi existimarentur, afficta esse a pictoribus censeas.

Matthiolus, acutissimus ille Dioscoridis interpres *), de Cassia et Cinnamomo veterum fusius disserens, se ipse acumine ingenii sui aliorumque exemplis **) in errores induci passus est, cum Cinnamomum, (quod nos scilicet vocamus), Cassiae aromaticae vel odoratae nomine optime illustraret, at verum tamen Cinnamomum veterum vel penitus e terra extinctum, vel recentioribus saltem omnibus ignotum fuisse, contenderet. Caeterum Cassiam Fistulam Galeni et Dioscoridis veram et odoratam Cassiam, seu Cassiam ligneam esse defendens, ab hac autem Cassiam illam Fistulam solutivam seu corticatam Cassiam distinguens, ex hac parte medicorum Arabum sententiae adhaesit.

Quae Matthiolus coniectura non assecutus est, atque adeo in aliis reprehendere solebat graviter, haec Fuchsius, Amatum Lusitanum,

---

*) Ed. Valgr. p. 44 sqq.

**) Confer. quae supra p. 13. e commentariis Antonii in Mesuen adnotavimus.

suspecta quidem aliis fide testem, caute in concilium advocans, primus apertis verbis exposuit. Amatus autem ille Lusitanus*) haec profert:

»Cinnamomum, cuius non pauca reperiuntur genera, notissimum aroma est, quod nobis Zeilam insula mittit, non parvi apud Indos nominis. — — Non gravabor, hic referre, quid de Cinnamomo audiverim a quodam, qui viginti annos Zeilam se egisse, fatebatur. Arbor est, dicebat, quatuor fere in altitudine cubitorum, crassitudinis brachialis, sex vel septem e trunco mittens ramulos, qui singulis annis amputantur atque iterum pullulant, quorum cortex, qui Cinnamomum est, ut tenuissimus, ita maxime in pretio habetur, colore exteriore subruffus, rugosus, cum quadam nigredine, nam intus cineritius conspicitur etc. — Folia, quibus arbor haec vestitur, nucis iuglandis esse dices, quae in officinis pro Malabathro, falsò tamen, venduntur. Haec Cinnamomo nostro ita respondent, et a Galeno tam saepe descripto, ut nullum aliud unquam extitisse Cinnamomum crediderim. Proinde recte mea sententia seplasiarii nostro Cinnamomo pro vero et Graecorum Cinnamomo utuntur.“ — Refellit, allato Galeni loco, sententiam eorum, qui nullum apud veteres Romanos Cinnamomum venale prostitisse èx eo affirment, quod Galenus cinnamomum apud Imperatores quaerendum esse dicat: regulam enim illum et veluti cotem tantum intellexisse Imperatorum hoc cinnamomum, ex quo facilius bonum quisque a malo discerneret.

De Cassia autem idem affirmat, in vastissimis capsis, canella refertis, quae ex India Antverpiam afferrantur, et Cassiae et Cinnamomi omnia pene reperiri genera; Cinnamomum nonnullis nodis ornari, odoratissimum esse, ad nigredinem rubens, sapore acri linguam maxime vellicans; Cassiam coralli modo rubere **), nec linguam ita intense, ut Cinnamomum, erodere, sed potius cum acuitate quadam adstringere, cuius maior copia, quam cinnamomi, semper comperiatur. Patet ex his, Amato crassiorem et adultiorem corticem Cinnamomum, iuniorem Cassiam audisse.

*) In Dioscoridis de Mat. Med. libros Enarrationes, Venet. 1557 p. 25.

**) Id, quod alii, v. gr. Antonius l. c., secundum Dioscoridem de similitudine nodorum ramorumque multitudine videntur intellexisse.

Haec Amatus. Fuchsius autem, ob fidem, quam suspecto illo mendaciorum viro tribuisset, gravissime inculpatus a Matthiolo, in Tomo primo operum, Francofurti ad Moenum anno 1666 edito, p. 55 alium testem adducit, Ludovicum Vartomannum, patricium Romanum, qui libri 6 suae navigationis cap. 4 de Cinnamomo verba faciens, arborem esse dicat, Lauro haud absimilem, praesertim si folia spectes;" Cinnamomum autem nihil aliud esse, quam librum corticemve, eumque ita legi: »Singulis ternis annis, inquit, incidunt ramos delibrantque, demtumque eo modo corticem Cinnamomum appellant.« — Addit Fuchsius, tantam esse Cassiae cum Cinnamomo similitudinem, ut illi, qui arbores illas excorticent, nullo discrimine utrumque corticem in fasciculos redigentes, ad exteros mittant; mitiorem esse Cassiam, acrius Cinnamomum, hoc autem rarius advehi, verum si promiscuum cum Cassia advehatur, non esse nisi id, quod sit admodum tenue; quod enim crassius hodie adferatur, Cassiae esse genus.

Animadvertas, Fuchsium isto loco iam utriusque et Cassiae et Cinnamomi arboris tam affinitatem, quam veram et specificam diversitatem agnovisse proximumque a scopo restitisse.

In Lintschottenii libro, qui inscribitur: *Die Orientalische Indien*, *) Cinnamomi utriusque (id est Canellae et Cinnamomi) historia optime exponitur: »Arborem esse statura Olivae, foliis Lauri, sed paullo angustioribus. Flores ei esse albos, quos fructus sequantur olivarum nigrarum magnitudine, oleum utilissimum praebentes. Corticem interiorem, detractum et in frusta quadrata dissectum, ad solem siccando involvi in tubos, colorem etiam nativum albidum calore in rufum mutari, vel si nimio soli exponatur, etiam in nigredinem abire, (qui sunt tres illi colores, a veteribus Cassiae suae adscripti); radicem camphora scatere. — Solum id fabulam redolet, quod arborem, cortice denudatum, rursus alio novoque indui perhibetur.

Haec autem maioris momenti sunt: »*Die Oerter, da der Zimmet wachset, ist Seylon, da der meiste und beste Zimmet wächst und da ganze Zimmet-*

*) Tom. IV. p. 49. Prodiit hic liber anno 1617.

wälde seyndt; an dem Gestad Malabar wächset auch viel und hat auch etliche Zimmetwälde daselbst, ist aber nicht halb so gut und die Bäume seyndt auch etwas kleiner; die Rinden aber oder Schälen seyndt etwas dicker und gröber als die andern, wiewohl einer geringern Kraft, als der auf der Insel Seylon kommet; ist der feinste und beste, auch wohl drei mal so thewer, als der andere. Der Zimmet von Malabar wird genannt Cavalla de Mato (potius *Canella do Mato*) *oder wilder Zimmet, und ist verboten nach Portugal zu führen, wird aber doch in grosser Menge eyngeladen, aber unter dem Namen, als wäre es Zimmet von Seylon. — Wann der gute Zimmet aus Seylon* 50 *oder* 60 Pardawen *gilt, das Quintal, so gilt der wilde Zimmet nur* 10 *oder* 12. — Hanc arborem Pluckenetius pinxit in tab. XIII. f. 5 Phyt., diversam ab omnibus et vix huius generis existimandam.

Iohannes Bauhinus*) omnium uberrime de Cinnamomo et Cassia egit; exscripsit multos, tam veteres quam recentiores, sed tenebras caligine illustravit, cum neque ipse plantam vivam unquam observasset, neque Caesalpino, qui ista tempestate luci apertam viam parabat, fidem dignam haberet. Tres ferme illae species, quarum in antecedentibus occulta imago nobis obversabatur, ex istis tenebris emergere videntur, quae sunt:

1) Cinnamomum seu Canella vulgaris. **)

Pingitur cortex Cinnamomi communis, sed (autore ipso dubitante) adpingitur etiam arboris pessima, vel omnino ficta, imago Thevetii, — Caesalpini descriptio ad eandem ducitur, folium, quod Clusius, errore ductus, pro Cinnamomi folio pingi olim curaverat, p. 455. repetitur; sed patria, Zeylan insula, solum stat inter haec omnia veri indicium.

2) Canella Acostae, Malabariae incola, retractata icone, quam Acosta olim dederat. ***)

---

*) Hist. pl. Vol. I. p. 433 — 455.

**) l. c. p. 446.

***) l. c. p. 437.

Quam qui cum optima Rheediana eius effigie (H. Malab. I. Tab. 57.) comparaverit, eandem hanc arborem comperiet figurare, foliis basi, ut huius acumen luculenter appareat, praeter naturam contractis. Corticem eiusdem arboris fingi credimus variis nominibus: *a.* an Cassia veterum?*) — *b.* Cassia lignea, fusca, aromatici et glutinosi saporis, **) (nisi haec eadem sit, quam infra a Cingalensibus Cinnamomum glutinosum appellari discemus); — *c.* Canella sive Cinnamomum vulgare, crassiore cortice ***), qui est cortex, vetustiori trunco detractus. —

3) Denique Malabathrum et Folium indum officinarum, cum eiusdem arboris cortice. †)

De hac autem arbore optime meruit Iohannes Bauhinus, licet valde suspicandum sit, eum vera Cinnamomi Malabarici folia ab illis Malabathri non satis caute distinxisse. — Quae Cassiae nomine in officinis vulgo occurrit, inodorum et inefficacem fere corticem radicis cuiusdam esse, idem refert.

Piso††) Canellam Zeylanicam describit et icone satis fida illustrat: »Cassiam vulgarem, calihacham dictam, non nisi crassitie distingui; Canellam malabaricam, ut levioris pretii negligi; Cassiam appellari corticem, qui recens sit pellicula sua cineritia et inaequali, sed tamen aromatica, delibratus.

Ionston†††) de Canella veterum fere placita ruminans, in tabula LIII una cum aliis iconibus rudioribus etiam folia Canellae verae, seu Zeylanicae, eaque satis artificiose delineavit, curavitque ad latus illorum poni folium Canellae Columnae, i. e Cinnamomi Malabarici, quorum discrimen ex ista tabula bene percipitur.

---

*) l. c. p. 452.

**) l. c. p. 451.

***) ib.

†) l. c. p. 430 et 435.

††) De Ind. utr. re nat. et med. Mant. in Bontii Hist. nat. et med. Cap. 1. p. 165.

†††) Dendrogr. 1662. p. 162. sqq.

§ 8.

Cuncta haec denique in bonum ordinem strenue redegit, autorum synoyma pleraque concinne distribuens, Casparus Bauhinus, vir nunquam satis digne extollendus*), in Pinace, quo loco forte nro. V. Cinnamomum crassiore cortice, et nro. VI. Cassia lignea fusca aromatica dicta, speciei secundae rectius adscriptae essent. — VII. est Cassia inodora seu Pseudocassia officinarum; III, Cinnamomum sive Canella peruviana, nobis Canellam albam significare videtur, eidemque et IV, Cinnamomum, sive Canella, tubis minoribus, alba, est adscribenda; — Malabathro autem caput proprium dicavit C. Bauhinus.

§ 9.

Ad usque haec tempora et paullo ultra ad medium fere saeculum decimum septimum Cinnamomi praeter folium unum alterumve ramulorumque fragmenta, de quibus diximus, nihil fere in nostrum orbem delatum esse, autorum optimorum silentio magis, quam certo testimonio, constat.

Primum autem, qui arbores complures huius generis, cistis, terra repletis, insertas, e Zeylan in hortum suum vivas transferri curaverit, Hieronymum a Beverningk, Batavum, fuisse, Breynio teste commemoramus, easque in istis hortis, Lockhorsti Batavorum, per aliquot annos viguisse, donec anno 1669 hiemis vehementia perirent. Hisque adiutus, collatis etiam pluribus, quae ab anno 1684 a Consiliario quodam Belgico, Indiae Praefecto, (suppresso nomine), tum a Beverningkio, Padburgo, Zeylanensi medico, autore, se accepisse fatebatur, idem Breynius in Ephemeridum Academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curiosorum Decadis 1. Anno IV. (Anno 1676.) p. 139 paullo auctiorem Cinnamomi arboris descriptionem condidit. Et distinguit quidem praesertim tres, licet omnes eas canelliferas, peculiares tamen arborum species, quarum altera Cinnamomum, altera Canellam seu Cassiam ligneam officinarum, tertia autem Malabathri

*) Pin. (1671) p. 408 et 409. I. II.

folia dicitur proferre. Priorem, seu veram Cinnamomi arborem Zeylanicam, his ferme describit Breynius: »Arbor est mediocris et cum tempore satis magna, ligno albo inodoro molli salici non absimili, variis concinno ordine ramis diffusa, quorum minores plerumque iterum aliis binis, sibi alternatim oppositis ramis prominent; pariterque foliis tenues, ut oleum fere canellae acri et suavi sapore oleaginosos pediculos habentibus, tribus nervis insignitis, Tamalapatrae similibus at, si quis attendat, substantia plerumque solidiore, crassiore, saepius forma latiore minusque acuminata, et imprimis semper notabilioribus elatioribusque fibris inter intransversas currentes venulas signatis, saporem caryophyllorum aromaticorum prae se ferentibus, ornati. Racemosos odoriferos eosque albos fert flores, qui calycibus praeditos, ad flavum tendentes tandemque obscuriores simiis et avibus expetitos glandium magnitudine fructus proferunt.« — Radicem huius arboris camphoram quidem edere, horum probatissimorum virorum auctoritate inter alia memoratu digna affirmatur, sed eam non unam esse Camphorae originem, sed aliam quandam Lauri specie arborem camphorigeram in Iaponiae provincia, Zathuma dicta, frequentem progigni, e cuius radicibus Camphoram ingenioso artificio ab incolis elici, teste Buchilione quodam, societatis Iesu in ista provincia praefecto, ita ab eo demonstratur, ut Breynium primum Lauri Camphorae inventorem, vel saltem delatorem, iure existimes, tametsi haud exiguam horum meritorum partem ipse transferri iubeat in curam et industriam Arnoldi Sye, Professoris Lugdunensis, in verum Camphorae fontem detegendum tunc temporis maxime intensum.

Paucis annis post, edito anno 1678 primo Horti Malabarici volumine, Cassiae Malabaricae, seu Cassiae ligneae Breynii, lucidam imaginem dedit Rheedius, vir immortalis*), *Carua* nomine Malabarico inscripto (aliis *Bahéna*, Sanscr. *Tiqui* **), fusiusque de eadem l. c. disseruit.

»Radix crassa, recta se in terram demittens ac hinc inde fibris transversis se affigens, cortice in exteriori crusta rufo-cinereo, sub ea rubescente,

*) H. Mal. I. p. 101. tab. 57.

**) De nomine sanscrito Caruae arboris conf. p. 2.

qui fortem camphoraceum odorem spirat, maxime tritus; ligno est duro, solido et albicante, odoris nullius.«

»Caulis ambitu amplexum unius brachii implens, diffundensque numerosos ramos et surculos, estque cum ramis cortice vestitus viridi, qui dein cum aetate rubescit, ac cum pellicula tenui lignum ambit et crusta cinerea obductus est, ac ligno duro, estque is cortex suo tempore deglubitus et in sole exsiccatus ipsum Cinnamomum; verum quod hic habetur, minus ácre est quam illud Ceilonense, ac velut sylvestre. Cortice omni ex parte deglubito, arbor emoritur.«

»Folia cum bina, tum solitaria proveniunt petiolis curtis ferme semipollicaribus, crassiolis, et interius late striatis, suntque forma oblongo-rotunda, longitudine ad latitudinem ferme dulpa, in summitate cuspidata, latitudine proximum ad medium, cum minora et teneriora sunt, proxime versus petiolam, que maxima longitudine, unius ferme spithamae et amplius, superficie plana, in oris albicante zonula seu nervulo, quae ex petiolo excurrit, praecincta, viroris in recta parte vegeti et vividi, in adversa viridi-diluti; cum tenera sunt, coloris hepatici, prout vetustiora, sicciora et magis rigida, ac fractu facilia sunt, et in minorem ambitum contracta et versus interiora crispa.«

»E petiolo tres costae viridi-dilutae ac flavescentes excurrunt cum costa intermedia, quae nonnihil crassior est, utrinque una, in recta et adversa parte extantes, suntque hae duae laterales primum brevi intervallo rectis tractibus meantes, ac ad mediam iunctae, atque inde obliquo ac annulatim inflexo ductu anteriora versus alte ascendunt, ac proxime ad cuspidem progrediuntur. Ubi in venulas subtiles, quae versus cuspidem deferuntur, disparent, ex costis extantibus plurimae fibrae seu venae intimo tractu per ipsum folium transversim egrediuntur, subtili cancelliformium venularum contextu comitatae, suntque in maioribus foliis nonnihil eminentes, maxime in recta parte: folia sunt forti ac aromatico odore, praecipue trita, ipsum cinnamomi odorem spirantia, et sapore quoque cinnamomi, licet minus vegeto; folia tenerrima rubescentia.«

»Flores petiolis viridi-dilutis, qui supra ex origine foliorum prodeunt, plures congregatim seu umbellatim proveniunt, suntque stelliformes ac parvi, constantes sex foliis viridi-diluto-albicantibus, parum oblongis ac rotundis, oris anteriora versus contractis, ac brevi collo seu pediculo instructis, odoris amoeni; in medio corculum est, constans ex duabus staminum seriebus; in exteriori serie stamina sex viridi-clara, supra alia emicantia ac viridi-diluta, in superiori parte plana ac latiora; in anteriori serie sex stamina tenuia ac parva sunt, cum nodulis seu apicibus flavis et crassiusculis in vertice, atque in ea serie ex iis insuper tria stamina cum illis, quae in exteriori ordine similia paribus intervallis emicant, complectentia s t y l u m tenuem ac viridem, in vertice nigricantem, qui ex capitulo viridi oblongo, quod primordium fructus est ac in pediculi superiori parte continetur, egreditur; floribus ad pediculum adest calyx arctus et exiguus. Gemmae florum rotundiolae. Fructus sunt b a c c a e oblongo-rotundae, tereti forma instar glandis quercinae, arcte inclusi in calyce profundiolo, crassiolo, viridi, qui sex cuspidum est, suntque superficie glabri, primum viridi-fusci et nitentes ac punctulis albicantibus conspersi, et tum sub cortice pulpa viridi-clara, quae flaviusculum unctuosum humorem exsudat, et saporis subacris adstringentis et unctuosi, continentque sub pulpa corticis unum grandem nucleum oblongo-rotundum et glabrum, qui cortice tenui cartilaginoso obtectus est et pulpa densa ex albo rubescente ac incarnati coloris et humore unctuoso, qui in filamenta protrahitur, suffusa, ac saporis magis acris et minus astringentis est, constat, dein, cum maturi sunt, coeruleo-fusci et nitentes, qui color est in tenui exteriori membrana, intus etiam pulpa viridi saporis aromatici ac subamari et acris ac pulpa nuclei ex rubro coerulescente constantes. — Flores haec arbor semel fert in anno in Ianuario.«

Itaque P a u l u s H e r m a n n u s, cum anno 1687 Horti Lugduno-Batavi Catalogum ederet, Cinnamomi historiam primis lineis iam absolutam tradere potuit, duas distinguens species:

1) C a s s i a m c i n n a m o m e a m sive C a n e l l a m Z e y l a n i c a m C. B. P. p. 408. et Cinnamomum vulgare Ioh. Bauh. T. I. p. 440., *Kurundu* Zeylanensium, cuius a se in Belgiam aliquoties transmissas stirpes tunc temporis et in

hortis Bentingiano, Beverningkiano et Lugdunensi ad tertium quartumve annum viguisse, tum vero incidente bruma rigidiore interiisse narrat. Addit figuram, eamque haud spernendam *), tum arboris adulti teneriorumque modo e semine germinantium, tum vero **) ramuli florentis ac fructuum; quas quidem omnes figuras Zeylanensem quandam Cinnamomi speciem pingere, nemo dubitabit; —

2. Cassiam ligneam seu Malabaricam, *Carua* Hort. Malab. Tom. 1. p. 107. t. 57., quae in Malabaria, Sumatra, Iava, inque insulis Philippinis crescit, et a Ceylanica tantum acrimonia suavitate et virtutis praestantia minori, neutiquam facie modoque crescendi discriminari perhibetur.

Similia his repetiit Dexbachius ***), docte de Cassia Cinnamomea, tam veterum quam recentiorum, disserens. Distinguit tres ille species: Cinnamomum scilicet ceylanense, tum Cassiam ligneam et sylvestrem, utramque e Malabaria et Iava insula oriundam, neque ipsas arbores differre, sed solo et sole praestantiam corticis in diversis terris vel augeri vel depravari.

Post haec historia Cinnamomi egregie aucta est opera praeclari cuiusdam viri, qui annos fere quindecim Procurator eiusmodi mercis in Ceilan operibusque, ad eam seligendam conductis, Praefectus, in varia genera Cinnamomi eorumque adulterationes strenue inquirendo, augmentum stipendii a Societate Batava meruit. Transmissis enim ab isto viro expertissimo ad Albertum Seba, Amstelodamensem, inclytissimum tunc temporis virum, tam Canellae omnis generis historia, diligentissime pertractata, quam foliorum singulorum corticumque exemplis, istic ille cuncta haec Academiae C. Naturae Curiosorum humanissime tradidit, cuius ope, quae vir ille ignotus nuntiaverat, latino redditae, in Actorum primo volumine, appendicis loco, leguntur †), adiectis foliorum, ad illustrandam historiam facientium, fidis iconibus. Quae cum a plerisque recentiorum vel nudis verbis exscriptae

*) l. c. p. 655.

**) l. c. p. 656.

***) De Cassia Cinnamomea et Malabathro Diss. Marpurgi, 1690. Repetita in Valentini Mant. exot. Acad. ad Hist. simpl. (1716.) p. 598 ff.

†) Act. Ac. Caes. N. Cur. Vol. 1. (1727.) p. 4.

sint vel etiam, tanquam nullius momenti, neglecta, hic repetenda sunt, ne nimium in omnibus nescisse homines ante Linneum protervius asseveremus.

Autor, utpote qui Zeylan insulam habitaret, obiter tantum attingit Malabaricum illud Cinnamomum, quod etiam sylvestre nuncupant, virtute et suavitate multum id differens quidem a prima optimaque specie Zeylanica, a se relata, verum quod foliis eidem maxime simile esse affirmat. — Nativas autem Cinnamomi species, tum genuinas, tum alias quoque, ob formae similitudinem fallaces, quas Zeylan insula gignit, fusius exposuit, quibus cum Cl. Goellero, eandem rem ex eodem fonte paucis post hauriente *), ad verbum fere consentit.

Secundum hunc autem vera una et sola est species,

1) *Rasse Coronde* vel *Curunde* appellata (e voce *Coronde* i. e. Cinnamomi cortex (lignum), et *Rasse*, acre ac dulce seu melleum,) quae Zeylan insulae peculiaris est et copiose in ea crescit, prae aliis ad usum lege destinata. — l. c. Fig. 1.

Quae sequuntur, specie quidem externa isti magis minusve accedunt, sed corticis praestantia, usu, ipsoque habitu, etiam per solas icones foliorum, quae ante oculos sunt, iam satis declarato, distinguuntur. Haec itaque sunt:

2) *Cahatte* (*Cahette* Burm.) *Coronde*, i. e. amarum et adstringens Cinnamomum. Proximum praecedenti habitu, folia paullo minora (Thunb.), ad apicem magis attenuata, nervis propius a basi exorientibus, (venulisque crebrioribus rugulosa). Corticis recentis odor iucundus, at sapor amaricans, (exsiccati odor nullus, neque ullum aroma, sed sapor Camphorae, color in fuscum vergit). Radix Camphorae plena est. — l. c. Fig. 2.

5) *Capperoe* (*Capuru* G. Th. *Cappare* Burm.) *Coronde*, seu Cinnamomum camphoratum. Folia huic sunt (minora,) elliptica, acutiuscula, trinervia, venulis transversis frequentioribus magisque approximatis striata, neque, ut in praecedentibus, reticulata, (e viridi livida). Cortex Malabarico habitu similis, (obscure rufescens,) Camphoram redolet, eidemque nihil omnino veri Cinnamomi intermixtum est. (Saporis suavitate et odoris fragrantia

*) Goeller, Diss. de Cinnamomo. Traj. ad Rh. 1709. 4. Quae in ista Dissertatione tum vero ab aliis, v. gr. Burmanno, Thunbergio, paullo accuratius aliterve tractantur, uncis inclusa, iis, quae nunc sequuntur, insceremus.

prima specie multo inferior. Radix Camphora referta. G.) Crescit satis copiosa in ea parte insulae, quae occidentem (orientem G.) spectat, neque in parte orientali. — l. c. Fig. 3.

4) *Welle Coronde*, i. e. Cinnamomum arenosum, quod cortex manducatus veluti granulosus experiatur strepitumque edat inter dentes. Folia sunt (lata,) ovato-oblonga, (oblongo-rotunda G.), acuta, trinervia, crebro striata venisque distinctis reticulata. Cortex (colore 2ae speciei) detractus non convolvitur, sed planus remanet. Gustu acris est et subamarus (satis gratus et aromaticus G.). Radix praebet parum Camphorae. — l. c. Fig. 4.

5) *Sewel Coronde*, i. e. Cinnamomum mucilaginosum, ex sapore corticis sumta denominatione. Foliis priori speciei simillimum est et forte huius varietas, nimio humorum affluxu diluto et alienato corticis aromate; (longiori acumine praedita esse folia verruculisque quibusdam adspersa G.) Corticis etiam nulla fere deprehenditur diversitas, nisi quod Cinnamomo nobili (isti, *Sewel Coronde* dicto, G.) maculae quaedam subfuscae in superficie exteriori corticis conspiciantur. (Tenacius esse, molle, fibrosum fractuque difficile Thunb.) Admiscetur itaque fraude hominum optimae notae acervis, coloris pulchritudine oculos decipiens, sed est infirmi saporis odorisque insuavis, gelatina etiam, intus contenta, redditur paullo tenacius. — l. c. Fig. 5.

6) *Nieke Coronde*, (*Nica Curundu* Thunb.), ob similitudinem *Nieke* arboris (Vitex Negundo Thunb.) sic dictum, foliis (minoribus) oblongis (lanceolatis Thunb.) obtuse acuminatis confertim striatis trinerviis, cortice insipido et odoris experte, colore autem primae speciei perquam simili. In usu medico est succus, e cortice vi ignis elicitus, qui cuti ad arcenda contagia illinitur; etiam succus expressus capiti roborando et refrigerando imponitur. — l. c. Fig. 6.

7) *Dawel Coronde* (*Dawul Curundu* Thunb.), i. e. Cinnamomum tympanorum, (*Trommel-Zimmt*), scilicet quod tympana in his terris ex istius arboris ligno conficiantur, (Cinnamomum planum, *Brettcaneel* Thunb.) Folia fere praecedentis, sed magis acuta mollique aut subrugosa superficie insignia, (maculisque hepaticis adspersa). Corticis color pallidus est; viribus autem et usu corticis cum praecedente convenit. (Lignum laeve est.

G. — Huius cortici proprium esse, siccando non convolvi. Thunb. Lauro Cassiae adscribendam esse. id.) — l. c. Fig. 7.

8) *Catte Coronde*, (*Catturu Curundu* Thunb.) seu spinosum Cinnamomum, trunco spinoso, foliis (minoribus) latis ovatis obtusiusculis margineque (ex icone) aliquantulum repandis (uninerviis) (undique rugosis venisque ad latera in nervorum duorum speciem coëuntibus G.); cui cortex quidem cinnamomum neque olet neque sapit. (Flavis maculis inspersus. Diversi generis esse. Thunb.) Adhibentur in medicinam tumorum folia, cataplasmatis loco imposita, quae illis brevi tempore mederi perhibentur. — l. c. Fig. 8.

9) *Mael Coronde*, (*Mal Curundu* Thunb.), i. e. Cinnamomum floridum, quia isthaec arbor perpetua florum amoenitate rideat. — Folia huius sunt ex oblongo lanceolata, in apicem attenuata, trinervia, venosa, subtus glauca; flores primae similes quidem, sed nunquam non steriles (masculi censentur generis.) Truncus, qui in praecedentibus octo ad decem pedes saepe amplectitur ambitu, in ista specie gracilior reperitur; cortex neque odore neque sapore commendabilis, (admodum expallens rufisque maculis inspersus. G.) Nullius usus est. Incisura facta corticis, succum limpidum, Betularum nostrarum more, stillat, neque is quidem in usum vocatur. — l. c. Fig. 9.

10) *Tonpat* (*Tombat*) *Coronde*, seu Cinnamomum trifoliatum, (*Kleekaneel* Thunb.), in alia insulae regione nascens, incolarum fama receptum est, licet autor id ipse non vidisset.

Goellerus ille, cuius supra mentionem fecimus, descriptionem Cinnamomi, quam Zeylan nutrit inclytam arborem, ex eiusdem, uti videtur, viri anonymi relatu hanc tradit:

„Radix, duorum saepe brachiorum crassitie, cortice obscure rufescente vestita, interius eiusdem fere coloris, nonnihil exaltati. Truncus variae altitudinis et amplitudinis, — aliis magnitudine mali persicae, pruni aut citri granative, aliis, annosioribus nempe, tiliis et quercubus non cedens, ad novem pedum longitudinem circumferentia adauctus. — Folia Laurocerasi foliis similia esse, quorum nervi hic lucide describuntur, quintuplinervia etiam aliquot autori contigit videre. — Flores, ex candido virescentes, monopetali, infun-

dibuliformes, stellati, ramos terminant. Calyci exiguo viridescenti flos insidet. Stamina 6, pallescentia. Odor florum gratus, ad Lilii Convallium halitum accedens (?) — Fructus sunt baccae oblongo-rotundae, maturitate adepta nigrae vel fusco-coeruleae, nitentes. Sub tenui pellicula continent carnem paucam, ubi latet semen unicum, grande, ovato-rotundum, glabrum, testa cartilaginea tenui. Nucleus in duas partes divisus, (cotyledones,) incarnatus. — Baccae hae insident calyci seu cupulae, quae sex cuspidibus acuminatur, colore virescenti-fusco praeditae.«

Quibus omnibus perpensis, neque ad Pruniferarum, neque ad Nuciferarum, neque magis ad Glandiferarum familias referendam esse hanc arborem, colligitur ab Auctore, sed anomalon eam potius constituere genus.

Patriam huic solam esse Zeylan insulam, neque in ea quoque undique nasci, sed demum trans *Chilan* fluvium, in regionibus *Negumbo* et circa *Gale* inveniri, deesse in toto districtu *Iasnapatnam*, neque in *Manoar* Insula ullam provenire.

In *Iava* et *Malabaria* quae crescat, Cassiam ligneam esse, quare etiam folia, inde collecta, dicantur Malabathri, quasi Malabarica(?), quae sint nihil aliud, nisi folia Cassiae ligneae. Hactenus Goellerus.

§. 10.

Posthaec autem, cum Paulus Hermannus, praematura morte abreptus, consilium suum exarandae absolutissimae Cinnamomi historiae exsequi non potuisset, alius quidam Vir Batavus, praeclarus ille Burmannus, in Thesauro suo Zeylanico, anno 1737 edito, ea, quae de Cinnamomo dicenda viderentur, a Musei Zeylanici, post obitum Hermanni impressi, summa confusione suscepit vindicanda. *) Sed male res successit evasitque magis in detrimentum, quam in emolumentum huius partis doctrinae, ad Cinnamomum spectantis, quam vix denique a Hermanno in lucem protrahi coeptam cognovimus. Mirum sane, cum praeter ipsius Hermanni bene exsiccata herbaria, Gronovii quoque

*) L. c. p. 62 sqq.

plantas et Cliffortii plantarum collectiones, a Linneo eodem tempore descriptas, nec non et Rumphii Thesaurum plantarum essiccatarum in usum vocaverit Burmannus. Sed ingruens Linneanus dies oculos multorum tunc temporis ita perstrinxerat, ut egerent duce eodem, quem ipsi potius ducere debuissent.

Burmannus elegit sibi ex Hermanni Herbario duas praecipuas Cinnamomi species describendas, — Cinnamomum nempe »foliis latis ovatis frugiferum, cuius iconem praeclaram Tab. 27. exhibuit, et Cinnamomum perpetuo florens, folio tenuiore acuto, Tab. 28. effictum.

Primam speciem quod attinet, vera haec est et genuina Canella Zeilanica Herb. Hermanni; plurima etiam, quae adscribuntur eidem a Burmanno synonyma, bene se habent, sed excludenda sunt omnia, quae Malabaricae istius speciei meminere. Quare Autor et ipse haec monet: »huius certe multae varietates in India occurrunt, ita, ut, licet haec nostra H. Mabalarici (Tom 1. p. 110 Tab. 57.) non respondeat, ipsum tamen sit et legitimum Cinnamomum.« — Legitimum certe probes, licet non idem hoc, quod satis clare pinxit, Cinnamomum.

Paucis hinc attigit illas, quas supra latius exposuimus, formas Zeylanensium arborum, sive sint Cinnamomi diversae species, sive aliae nonnullae errore vel fraude cum vero Cinnamomo commutatae.

Transit ad nonam harum, i. e., Cinnamomum perpetuo florens, folio tenuiori acuto, in Tab. 28. delineatum, paullo accuratius tractandam. Quisquis autem iconem, in ista tabula pictam, attentius contemplaverit, Cinnamomi florentem paniculam et eam quidem terminalem, e ramo, foliis aliquantum ab iis veri Cinnamomi abhorrentibus praedito, nascentem, cognoscet, sed foliorum huius ramuli formam esse eiusmodi, quae vel Lauro illi, quam Cassiae nomine inscriptam, a Blumio, viro praeclarissimo, e Iava insula accepimus*), vel alii cuidam e Laurinorum genere speciei, cum illa et Cinnamomo vero a Burmanno commutatae, tribuas.

---

*) Laurus Burmanni nob., de qua plura infra.

Augetur suspicio ista Burmanni verbis, quae sequuntur*): »quum in Hermanni Herbario nulla distinctio inter hanc (speciem) et primam (Cinnamomum verum), quoad nomen occurrebat, anceps haesi, quodnam legitimum esset Cinnamomum. Auctorum vero denominationes et descriptiones, ut et figuras H. L. B. et Malab.(!) accurate perpendens, prius Cinnamomum legitimum et optimum, hoc vilius et sylvestre esse puto; quod autem huic in Museo Zeylanico flosculi verticillati adscribantur, non communi sensu botanico est accipiendum, scilicet quod flores circa caules in verticillos collectos gerat, sed verticillatos i. e. in summo caulium vel vertice positos, ad differentiam primi, quod flores per caules inter folia dispersos etiam habeat.«

Quaerebantur itaque a Burmanno diversarum specierum exempla, — aderant nulla, quae beatus Hermannus ipse iam distinxisset. Inveniebatur ramus, specie admodum diversus, »foliis multo minoribus angustioribus magis acutis subtus pallidis et fere caesiis.« Talis descripta est: Canella Zeylanica silvestris, odore et sapore myrrhae, flosculis *verticillatis* Mus. Zeyl. p. 26., Cassia cinnamomea Myrrhae odore, folio trinervi subtus caesio *Nicaduwala* Cingalensibus dicta. Pluck. Alm. p. 89., (cui bene accedit icon t. 381. f. 2. Amalth. p. 52.) Haec vero species eadem est, ac *Dawelcurundu* Ceylanensium, neque ea tamen *Mael Curundu*, seu floridum illud, neque omnino Cinnamomi generis, sive odorem spectes, sive florem modumque crescendi. Profert enim haec flores axillares et fere sessiles, qui haud inepte verticillati et videri et denominari possent illis temporibus. — Adscripsit itaque Burmannus ista synonyma, descripsit et pinxit aliam plantam, Cinnamomi veram quidem speciem, sed eam viribus debilem, nec nisi »contritis foliis odorem Cinnamomi spargentem,« foliis autem, ut quae maxime, illi Myrrham olenti similem et iam a Pluckenetio, qui *Nicaduwalae* nomen suae adscriberet, cum eadem commutatam, licet ista barbarorum appellatio re vera potius Burmannianae plantae propria esse videatur, cum plurimorum Autorum fide, verum Myrrha fragrantis Cassiae in Ceylanensium

*) l. c. p. 64.

lingua nomen *Dawul Curundu* habendum sit. Nisi forte *Nikaduwala* illud pro voce hybrida, e speciei sextae (*Nieke Curundu*) et septimae (*Dawel* seu *Dawul Curundu*) coniuncto sono efficta, malis accipere; quam sententiam Burmannus ipse tum eo confirmat, quod suae descriptioni *Dawulkurundu* synonymon adiungere non dubitavit, tametsi, floridum se coram habere Cinnamomum existimans, *Mael Curundu* scribere debuisset, tum maxime vero eo, quod *Nieke Curundu* cognomen in recensendis Cinnamomi variis speciebus plane omisit.

Obscuram itaque compositamque e diversis elementis speciem vel quoad nomen deprehendimus, scilicet *Dawul Curundu*, *Nieke Curundu* et *Mael Curundu* barbaris arborum appellationibus perverse coniunctis.

Porro comparata Cinnamomi perpetuo florentis Burmanni icone cum foliis, *Mal Curundu* et *Nieke Curundu* dictis, quae in Actorum Acad. C. Nat. Cur. l. c. f. 6. et 9. aere excusa sunt, utriusque horum foliorumque ramuli, a Burmanno picti, summa similitudo adparebit.

Haec icones expediverunt, in oculorum iudicium deductae; revertimus ad scriptores et in verborum consensum inquirimus; quae eruuntur, haec sunt: Componi ab auctoribus Canellam illam Zeylanicam Mus. Zeyl. Herm. cum Cassia, *Nikaduwala* dicta, Plucken. Alm. p. 89., huic autem (*Nikaduwala* dictae) adiungi Canellam ex Mindanao Insula, Ionston Dendrogr. t. 53., et denique ab ipso Pluckenetio in appendice t. 381. f. 2. afferri aliam, quam Cassiae Cinnamomeae Myrrhae odore Phytographiae similem (minime autem eandem vel parem) appellat*) floribusque axillaribus brevissime pedunculatis describit et pingit.

Haec bene reputantes, iconumque comparatarum memores, de Burmanniano illo Cinnamomo perpetuo florente sic statuimus: scilicet, duas traditas fuisse Laurinorum familiae plantas, et eas genere quidem diversas, sed foliorum forma perqua similes.

Altera earum, quae *Dawul Curundu* barbarorum, a Pluckenetio in

*) Amalth. p. 52. app. t. 381. f. 2.

Amalthea*) recensetur adiectaque figura satis illustratur. Patria ei China adscribitur, tum quoque ex antecedentibus *Ceylan* insula addenda videtur. — Ista vero huius generis non est, sed diversi.

Altera, seu *Nika Dawula* Plucken. Alm. et forte etiam Mant.**), Lauri vel Myrrhae odore dicta, Cinnamomi generis est species Ceylanensis.

Quam utramque, cum herbarium Hermanni siccum evolveret, reperit quidem Cl. Burmannus, sed foliorum deceptus similitudine, neque floribus satis investigatis, solam pingendam curavit posteriorem, cui Lauri Burmanni nomen sumus imposituri; sed addidit perperam et alterius speciei citata nomina cum definitionibus auctorum, peccavitque maxime, cum tantum verborum dissensum vilipenderet.

Huius autem rei certissima argumenta habemus inter plantas complures, quas beatus Brugmansius olim humanissime communicavit, ramulos nonnullos exsiccatos tum veri Cinnamomi Zeylanici, cum icone Burmanniana ***) examussim congruentis, tum alius e Linneano genere Lauri plantae, quae, Litsaeae novo Iussievi generi accensenda, a Litsaea trinervia Lamarckii seu Litsaea Myrrha Iuss. †), cui similis est, patrio solo aliisque notis recedit. Isti vero Litsaeae trinerviae Lam. synonymon additur Cassia Cinnamomea illa, Myrrhae odore, Pluck. Alm. l. c., (et id iure quidem) una cum pluribus aliis, quae ad Zeylanicam nostram spectant.

Utraque haec species ex herbario desumta est Royeni, quod, ab immortali Linneo olim perlustratum, variis eiusdem auctoritate adnotationibus ornabatur. Et Cinnamomo quidem Zeylanico nomen inscriptum erat: Laurus Cinnamomum Lin., Litsaeae autem isti, quam diximus: Laurus verticillatus V.; videlicet hac nota indicatur, Canellam illam habendam esse flosculis verticillatis Mus. Zeyl.

---

*) l. c.

**) Alm. p. 89. Mant. p. 40.

***) Thes. Zeyl. t. 27.

†) *Ann. du Mus. d'Hist. nat.* Vol. VI. p. 205 et p. 212.

Haec ansam praebuit errori; tertia vero species dedit materiem iconis *) alterius Burmannianae fingendae, ut supra vidimus. Quae cuncta ut iam isto loco clarius appareant, specierum, de quibus hic sermo fuit, diversa nomina cum synonymis auctorum, in castigatum ordinem redactis, praemittimus, quae cuncta denique in ultimo capite, ubi de Cinnamomi veris et fictis arboribus acturi sumus, accuratius explicabuntur.

Itaque distinguenda sunt:

1) Laurus Cinnamomum Lin. Burm. Thes. Zeyl. tab. 27.

2) Laurus Burmanni nobis. Burm. Thes. Zeyl. tab. 28., excl. facile omnibus synonymis, praeter illud: Arbor canellifera sylvestris odore »Lauri« vel Myrrhae Herm. Breyn. Prodr. II. p. 45. Pluck. Mant. p. 40. *Sindoc* Rumph. Amb. II. p. 69.

3) Litsaea Zeylanica nob., quae est *Dawul Curundu* Act. Ac. N. Cur. Vol. 1. p. 4. t. 2. f. 6. Laurus Zeylanica flosculis verticillatis Herm. Mus. Zeyl. 26. Cassia cinnamomea Myrrhae odore Pluck. Alm. p. 52, *Dawul Curundu etc. Marshal Ann. of. Phil.* 1817. *Oct.* p. 243. tab. 71. f. 1.

4) Litsaea Myrrha Iuss. (trinervia Lam.) cum Synonymis: Cassia cinnamomea, Myrrhae odore etc. Pluck. Amalth. l. c. App. tab. 381. f. 2. Laurus Iaponica auctorr. Laurus Myrrha Lour. Coch. ed. Willd. 1. p. 308. excl. syn. Herm. **)

§. 11.

Post Burmannum Breynius rem prisco adhuc more, sed obiter tantum, ex proposito suo, tetigit. ***)

---

*) Thes. Zeyl. t. 28.

**) Arborem canelliferam sylvestrem Iaponicam folio minimo, Breyn. prod. II. 45., quam alii huc accersunt, multum differre a nostra probat Pluckenetii figura tab. XIII. fig. 3., quae isti audit: Cassia Cinnamomea sylvestris Iavanica rhomboide folio parvo fructu calyculato, citato Linschotten. Ind. Or. P. IV. Vide supra pag. 20.

***) Prodr. II. (1739.) p. 44.

»1) Arbor canellifera Zeylanica, citato Burmanni Thesauro cum icone tab. 27. et omnibus synonymis.«

»2) Arbor canellifera indica, cortice acerrimo viscido, seu mucilaginoso, qui Cassia lignea officinarum nobis, Cassia lignea fusca C. B. *)«

»3) Arbor canellifera Malabarica, cortice ignobiliore, cuius folium Malabathrum officinarum nobis. *Carua* H. Malab. I. p. 107. tab. 57.« Adduntur haec: »Verum in officinis pro Folio Malabathro non folium, quod a Cordo expressum et arboris canelliferae nostrae est, sed etiam arboris canelliferae sylvestris Zeylanicae odore et sapore Lauri vel Myrrhae Hermanni venditur. — Habes hic fontem errorum omnium, qui ad hanc diem Lauri Cassiae Lin. synonymiam vexaverunt.«

»4) Arbor canellifera Taiwanica, cortice acerrimo viscido, ingrato »quodam sapore intermixto, Cl. Golio ex oriente nomine Cinnamomi Taio-»wanici transmisso, sapore, acredine etiam, optimo Cinnamomo Zeylanico »antecellente, sed quodam etiam ingrato ac rancido commisto.« — Incerta species. Nisi ex Oriente esset allata, Canellam albam crederes eam significare.

»5) Arbor canellifera sylvestris Iaponica folio minimo, Lauri Iaponicae nomine a Cleyero missa.« — De qua confer in pagina antecedente notam, ad Litsaeam Myrrham Iuss spectantem.

§. 12.

Linneus.

Multa erat cumulata materies, eaque varia variisque erroribus quidem perplexa, sed plurima tamen recentissimorum temporum opera et studio ex ipsa natura depromta et acute composita. Talem et Cinnamomi historiam offendimus a Caesalpini aetate, utraque India civium nostri orbis audacia et virtute

*) Conf. H. Malab. Tom. V. tab. 55., quae est Laurus Malabathrum Lin.

strenua penitus demum perlustrata, quin maximam partem legibus nostris subiecta, Lusitanorum Belgarumque navigationibus, mercatorum opulentissimis confoederationibus, virorum eruditorum peregrinationibus, tum procerum quorundam, qui victo orbi novisque coloniis praecessent, vel proprio ingenio vel liberalitate, medicorum deinceps et botanicorum, Amati Lusitani, Fabii Columnae, Garciae, Clusii, Pisonis, Hermanni praesertim Breyniique acumine auctam, politam et secundum veram specierum patriam scrupulose examinatam, quo tempore, veris tandem et certis a falsis atque incertis summa cura discriminatis, alia isti aliunde lux affulsit. Namque alius debuit esse, qui leges novae scientiae scriberet, alii, qui humeris fundamento essent aedificio praeclaro. Itaque Linneus, cum iisdem fere annis, quo I. Burmannus et Breynius florebant, (1737), splendidissimam Horti Cliffortiani ederet descriptionem, et Genera plantarum, stupendum ingenii opus, in lucem emitteret, Cinnamomi historiae generaliori optime consuluit, ad species non eadem cura intendit animum. Laurum id genere esse primo floris aspectu cognovit vir acutissimus. Quae autem Laurus arbor appellanda sit, in Generibus plantarum*) his verbis demonstravit:

»Class. IX. Enneandria. Monogynia. LAURUS *Tournef.* 567 Cinnamomum Herm. H. L. B. 656. Burm. Zeyl. 28. Camphora Gronov. Diss. —

CAL. nullus: nisi corollam rectius calycem diceres.

COR. Petala sex, ovato-acuminata, concava, erecta, alterna exteriora.

Nectarium constans tuberculis tribus acuminatis coloratis in duas setas desinentibus germen circumstantibus.

STAM. Filamenta novem, corolla breviora, compressa, obtusa, terna in singulo ordine. Antherae margini filamentorum superne utrinque adnatae.

Corpuscula duo globosa, petiolo brevissimo singulo filamento intimi ordinis prope basin affixa.

*) Lugd. Batav. 1737. p. 120.

Pist. Germen subovatum. Stylus simplex, aequalis, longitudine staminum. Stigma obtusum, obliquum.

Per. Drupa ovalis, acuminata, unilocularis, corolla comprehensa.

Sem. Nux ovato - acuminata Nucleus eiusdem formae.

Obs. Maxima specierum pars una cum Cinnamomo et Camphora hermaphrodita est, in nonnullis tamen mares seorsim in Dioecia prodeunt, ut in Lauro Tournef., ubi etiam saepius stamina octo.«

Isti itaque generi subiectum descripsit in Horto Cliffortiano (1737) arborem illam canelliferam, quo solo nomine omnes complectebantur Cinnamomi et Cassiae recentiorum species:

»Laurus, foliis oblongo-ovatis trinerviis nitidis planis l. c. p. 154. n. 6.«

Synonyma adducuntur:

»Cassia Cinnamomea Herm. Lugdb. 129. t. 655.

Cinnamomum foliis latis ovatis frugiferum Burm. Thes. Zeyl. p. 62. tab. 27.

C. Bauh. Pin. p. 408.

Carau (lege Carua) Rheed. Malab. I. p. 107. t. 57.

β. Cinnamomum perpetuo florens, folio tenuiori acuto. Burm Thes. Zeyl. p. 63. t. 28.

Verba, quae his addidit vir immortalis, memoratu dignissima sunt:

»Crescit in Zeylona praestantissima arbor. Arbor haec vetita Europae »oras salutavit nunquam, nec hortis nostris grata fuit unquam hospes, »nec facile erit ullius.« Tales autem arbores iam ante annum 1669 in horto Beverningkiano per aliquod saltem tempus viguisse, supra demonstravimus. »Suffecit nobis, siccam inter siccas conservare, flores, quos non potueramus vivos, demortuos tamen lustrare. Hermaphrodita est, et in Horto Malabarico optime describitur. Stamina enim novem sunt, quorum »tria interiora appendiculata; pistillum unicum. Vide Burmanni Thesau- »rum Zeylanicum, tab. 28. fig. marginalibus, ubi 1. germen cum stylo, »2. stamen unicum ex tribus interioribus, utrinque appendiculatum, 3. corolla

»apetala, 4. clausa, seu erecta.« Liceat, quae ex his colligenda videantur, statim adnectere:

1° Linneum, cum Hortum Cliffortianum describeret, Laurum Cinnamomum sensu latissimo accepisse, quo omnes canelliferas arbores, nullo patriae discrimine observato, complectebatur.

2° Vivum, quod nemo mirabitur, florem Linneo non modo non visum esse, sed siccum quoque, quae tunc superstitiosa fere fuit huiusce arboris veneratio, vix summa circumspectione tangere manibus licuisse examinique subiicere erudito. Quo factum est, ut Burmanni iconibus pro ipsa natura uti in constituendo generis charactere cogeretur vir celeberrimus.

3° Burmanni licet auctoritate in nonnullis decepto minime tamen excoecato, Cinnamomum illud perpetuo florens Linneo visum esse Lauro Cinamomo genuino satis quidem cognatum, non ita tamen, ut ne varietatis nota sub isto nomine esset enarrandum.

4° Neque magis fidem habuisse Linneum verbis Burmanni, quibus istic, inductus nomine huius arboris et aliorum observationibus, in *Mael Curundu* forte et in *Dawul Curundu* arbore institutis, ramulum, tabula 28 depictum, masculi eiusdem cum Cinnamomo speciei arboris esse, ingeniose magis, quam vere coniiciebat. Nam hermaphroditam esse arborem, disertis verbis Linneus l. c. declaravit, neque omnino flores huius floridi, a fructigeri, quod nominabat Burmannus, seu genuini Cinnamomi floribus censuit diversos, neque Litsaeae seu *Dawul Curundu* flores, qui partium abortu vere dioici reperiri dicuntur, hic in censum vocavit, licet essent eiusdem arboris, quam alio tempore, ramulos eius in Royeni herbario tractans, Laurum verticillatam Hermanni ad exemplum appellaverat.

5) Verum e quo errore feliciter evasit vir iste perspicacissimus, in hunc, qui evenerit, ut longo tempore post alii incurrerent, cum adversus Iussievi (*Ann. du Mus.* VI. p. 215.) gravissimam luculentissimamque demonstrationem Cinnamomum a Lauro distingui floribus dioicis assererent, iure miramur.

Quam cito autem Linneus, auctorum, quae ad eum pervenerant, de Cinnamomo adversariis et iconibus curatius inter se collatis, verum attigerit, testimonio est Fl. Zeylanica, edita anno 1747.

Distinguuntur iam duae species, tertia digito monstratur.

«1) Laurus foliis ovato-oblongis trinerviis basi nervos unientibus 145.
Syn. Cassia Cinnamomea Herm. Lugdb. 129 t. 655. Burm Zeyl. 62. t. 27.
Patria: Zeylona.
β. *Katou-Karua* Rheed. Malab. V. p. 105. t. 55.
Patria: Malabaria.

2) Laurus foliis lanceolatis trinerviis: nervis supra basin unitis 146.
Citantur Herm. Lugdb. p. 130. Burm. Zeyl. p. 63. t. 28.

Eadem repetuntur in Materia Medica, Holmiae Anno 1749 edita, et denique, anno 1753, in Specierum plantarum codicem introducta, ad hunc usque diem servantur, additis tantummodo posteriori speciei aliis quibusdam synonymis, quae Nicol. Laur. Burmannus in Fl. Ind. p. 91 et 92, recte alia, alia incautius, conscripsit.

Revertamur ad Linnaei in Cinnamomum curas, quibus perpensis, pleraque laudanda occurrent, sed et aliqua vituperanda.

A prima specie, quam deinceps Laurum Cinnamomum appellatam voluit, bene seiunctum videmus *Karua* istud, H. Mal. I. t. 57., idemque vero posteriori speciei, i. e. Lauro Cassiae Linneani systematis, cuius elegantissima, immo vero unica viva haec imago existit, non esse redditam, merito dolemus. Laurum illam Zeylanensem praestantissimae indolis, ab aliis eiusmodi, quas Malabaria et diversae Indiae orientalis Insulae nutriunt, nitido charactere distinctam comprobantes, ex altera parte *Katu-Karuam* Horti Malabarici V. p. 105. t. 55., peregrinam, amplissimis foliis, vere sylvestrem, ut Auctor Horti Malabarici l. c. eam designat atque ex proposito a *Karua*, simpliciter dicta, hisce fere notis separat, vix serio in ista vicinitate relictam esse persuademur.

Accuratissima est Malabarici Cinnamomi, seu Lauri Cassiae Lin., a foliis longioribus nervisque altius iunctis definitio, sed quidnam huic

cum figura, in Thesauro Zeylanico picta, commune est? quae neque lanceolatis foliis gaudet, neque nervis ab iisdem praecedentis speciei conspicue aberrantibus. Quis non potius credat, verbis his nullam aliam, nisi Rheedianam illam *Karuam* indicari? Quod, quemadmodum a Linneo fieri potuerit, nulla alia ratione explicandum videtur, nisi statuamus, clarissimum virum, toto animo in Burmanni summa merita conversum, binis his iconibus nimium tribuisse, et cum per alteram earum priorem speciem (Laurum Cinnamomum) significari absque dubio cognovisset, neque vero alterius, seu *Nieke Curundu*, certam originem adhuc perspexisset, eas magis distribuisse, quam strenuo examine diiudicavisse. Sic enim posteriori speciei figuram quoque posteriorem obtingere, necesse fuit.

Fecit forte ad haec quoque Burmanni in citandis auctoribus praecipitatio, dum iste Cinnamomo, quod floridum appellabat, adiunxit Canellam sylvestrem Malabaricam Raii, H. Pl. p. 1562 et Fl. Malab. p. 17., porro Canellam sive Cinnamomum vulgare crassiore cortice Ioh. Bauh. Hist. 1. p. 451., tum *Katou Karua* quoque H. Mal. V. tab. 53., quorum priora certe ad Laurum Cassiam Lin. spectant, posterior isti saltem magis, quam Cinnamomo Zeylanico, congruit.

Sed haec parum ad rem conferunt. Linneum enim in Lauro Cassia sua similitudinem iconis *Karuae*, in Horti Malabarici Volumine I. tab. 57. editae, quaesivisse, vel etiam, uti fieri solet, hanc insuper cum Burmanniano isto spectro, alia forte augendo alia tacite detrahendo, quasi reconciliasse, testem habemus idem Royeni herbarium, ab ipso Linneo perlustratum nominibusque plantarum compluribus instructum; in quo scilicet Lauri et Cinnamomi et Cassiae diversis cognominationibus unam eandemque speciem Zeylanicam inscriptam vidimus, ita tamen, ut priori ramuli omnes foliis respectu longitudinis latioribus vestiti, posteriori vero, seu Lauro Cassiae Lin., quicunque angustioribus essent foliis eadem charta collecti adscriberentur. Quae res argumento esse potest, Linneum, cum L. Cassiam suam inter Zeylanicas plantas quaerendam, male ei persuasum esset, angustiora illa, quae icon Rheediana monstrabat,

Karuae folia, reperire voluisse, selegisse autem nihil, nisi angustiora Cinnamomi, quorum exigua quidem inveniebatur similitudo *Katu Karuae* Rheedianae, sed maior aliqua foliorum Cinnamomi florigeri Burmanni. Itaque rursus diverso modo commiscebantur Cassia illa vera et Cinnamomum Burmanni floridum.

In his vero, qui, summum Linneum peccavisse, forte reprehendat, is quidem gravius in illos simul invehatur, necesse est, qui ad nostra usque tempora, quantumvis Cinnamomi Zeylanici exempla sicca haud parca manu viris botanophilis distribuantur, malabaricam illam usque adeo neglexerunt, ut, quae Linneo non licuit observare huiusce et antecedentis discrimina, ea nunc quoque vel a paucissimis nostratium rite perpensa solisque hortulanis curae diversarum huiusmodi arborum, navigantium sorte e patria illatarum, relictae esse videantur.

§. 13.

Quae Linneus, uti demonstratum est, partim neglecta, partim obscura dimisit, ea paullo post N. L. Burmannus, in antecedentibus iam laudatus, fere omnia explanavit, tres illas Cinnamomi specie arbores statuens ita, uti sequuntur *):

»1. Laurus (Cinnamomum) foliis trinerviis ovato-oblongis, nervis versus apicem evanescentibus. Lin. Sp. p. 528. (excl. syn. quibusd.), — Fl. Zeyl. 145. — Cinnamomum foliis ovatis latis frugiferum Burm. Th. Zeyl. p. 62. t. 27. — Cinnamomum sive Canella Zeylanica C. Bauh. Pin. p. 408. — Cassia cinnamomea Herm. Lugdb. p. 129. t. 655. «

»2. Laurus (Cassia) foliis triplinerviis lanceolatis. Lin. Sp. p. 528. Fl. Zeyl. 146. *Marua* (lege *Karua*) H. Mal. 1. p. 107. t. 57. Cinnamomum, seu Canella Malabarica (et Iavanensis **)) C. B. Pin. 409. Rai. Hist. 1562. —

*) Fl. Ind. (1768.) p. 91. sqq.

**) Quae de Iavanico isto Cinnamomo nostra sententia sit, supra declaravimus p. 20 et 35 nota.

(Reliqua, quae isti adscribuntur, synonyma: Canella Zeylanica sylvestris, odore et sapore Myrrhae, Herm. Mus. Zeyl. 6, et Cassia cinnamomea Myrrhae odore, folio trinervio subtus caesio Plucken. Alm. p. 89., utpote quae ad Litsaeam Myrrham et Zeylanicam pertineant, tum Burmannianum illud »perpetuo florens Cinnamomum« ab ista specie excludenda sunt.

3. Laurus (Malabathrum) foliis trinerviis ovato-acuminatis, nervis versus apicem confluentibus. *Katou Karua* H. Mal. V. p. 105. t. 53. — (*Sindoc* Rumph. Amb. 2. p. 69 *)?) — Malabathrum Malabaricum Garcin. Herb., quae olim erat Lauri Cinnamomi var. β. Linneo appellata. In eo vero erravisse putamus virum clarissimum, quod Malabathri folia huius praecipue arboris esse existimaret, cum pleraque hoc nomine venalia Lauri Cassiae potius esse inveniantur **). Verosimile tamen est, utriusque arboris folia vel promiscua vendi isto nomine, vel etiam maiora haec Malabathri folia a quibusdam maioris verissimaque Folia Inda habita esse.

§. 14.

Eadem fere, quae de Cinnamomo Zeylanensi ex Praefecti illius Belgici relatu supra enarravimus, confirmat vir illustrissimus Thunbergius, qui in itinere, per Caput bonae spei, Iavam insulam et Iaponiam annis 1770—1778 peracto, ad Zeylonam etiam insulam appulit ibidemque per quinque mensium spatium, scilicet a mense Augusto anni 1777 ad ultimum Ianuarium anni 1778, commoratus, historiae naturali huius insulae illustrandae strenue incubuit.

Et distinguit quidem ***) Laurum Cinnamomum Lin., ceu veram probatissimi Cinnamomi matrem, a deteriori Cassia (*Mutter-Zimmet*), quippe cui folia angustiora sint magisque attenuata, cortex autem crassior et sapor magis pungens, innata acrimonia. In eo tamen novorum errorum ansam praebuit

---

*) *Sindoc* Rumphii valde dubium, vix etiam huius loci, sed potius, ni omnia fallunt, Lauro Culitlawan Reinw. apponendum.

**) Conf. Ioh. Bauh. Hist. l. c.

***) *Reise, übers. von Groskurd.* 2 *Th. S.* 185 *ff.*

Thunbergius, quod hanc, posteriori loco nominatam, arborem varietatem illius nobilioris iudicet, etiamsi Malabarica littora, illius patriam, ipse non attigerit. Namque certo aliter iudicavisset, si unquam Zeylanicam Cinnamomi Laurum cum genuina Malabarica, paterno solo nascente, comparasset.

Ex omnibus enim, quae hucusque allata sunt, id sequi videtur evidentissime, Laurum Cassiam veram in Zeylania insula nullam omnino reperiri, neque magis in Iava insula, ut alii perhibuere, quod si in ista insula nascatur, Thunbergium certe oculatissimum non latuisset.

Decem illas, quas supra enumeravimus species, incolarum, Cinnamomi decorticandi peritorum (*Schjalias* ipsorum lingua dicuntur), fide tradit, nempe *Rasse Curundu* vel *Penni Curundu*, *Nai Curundu*, *Capuru Curundu*, *Cahatte Curundu*, — »has quatuor autem formas ad Cinnamomum Laurum pertinere« addit, — *Säwel Curundu*, — »et eam esse Cinnamomi,« — *Dawul Curundu*, — quae male Lauri Cassiae varietas censetur, Burmanni citatis iconeque, non bene a Linneo L. Cassiae adiudicata, praeëuntibus, — tum *Nica Curundu;* — reliquas rarissimas esse, nec nisi in terris Imperatoris Zeylanensis reperiri, et *Caturu Curundu*, — »alius certe generis arborem,« — tum *Mal Curundu*, decimam autem *Tombat Curundu* vocari. Harum autem priorem, *Rasse Curundu* dictam, fortasse et secundae, tertiae et quartae speciei arbores, ab incolis per silvas quotannis quaesitas et decorticatas, Belgis mercatoribus Cinnamomi nobilis quasi silvestrem messem praebuisse, donec anno 1770 primus Iman. Guilelmus Falck, Provinciae Belgicae in ista Insula summus Praefectus, invitis incolis et novam rem vel irrigatis aqua fervida surculis oppugnantibus, magnis arboretis colere Cinnamomum docuerit.

Exinde arboris serendae et rite colendae mos obtinuit, et, qualis vitis optima quaeque in nova vinea conserenda seligitur, ita nunc Laurum Cinnamomum, nobile aroma ferentem, vel solam, vel Laurum Cassiam, eodem nomine in Zeylan insulam illatam, colunt, debilioris vel fallacis corticis species silvis relinquunt vilique pendunt.

§. 15.

Res novis ambagibus irretita.

Quid mirum itaque, si recentissimis diebus vir quidam, rerum naturae haud is quidem imperitus, sed aliis tamen negotiis nimis obstrictus, Henricus Marshallius, Chirurgus exercitus Anglorum Zeylanensis supremus, cum ad clarissimum et praenobilissimum Bancksium, Equitem, per litteras de Cinnamomi natura et differentiis nuntiaret *), unam et solam Laurum Cinnamomum, eam scilicet, quam ubique cultam laudibusque celebratam videret, a natura procreatam esse acriter defendit: plerasque eius species, a Thunbergio incolarum fide enarratas, vix varietates appellandas esse; ipsam *Kurua (Karua)* Rheedii (- Malabaricam intelligas, Marshallio non magis, ac Thunbergio, cognitam,) haud amplius distinguendam; alias, (quod iam Thunbergius observaverat,) nihil omnino prodere Cinnamomi; Cinnamomum perpetuo florens Burmanni, quod ad iconem, eandem arborem esse, quam in antecedente tabula frugiferam vir ille appellasset, i. e. genuinam Laurum Cinnamomum Linnei, »paucis tantum dissimilem;« illam vero, quam Burmannus ad iconem Cinnamomi istius floridi advocavit, *Dawul Curundu*, *Nika Dawula* vel *Nika Curundu* barbaris cognominatam, longe aliam esse speciem, (eam nempe, quam supra Litsaeae Zeylanicae nomine indicavimus), — hanc autem esse, quam Laurum Cassiam Linneus quondam statuerit.

§. 16.

Critica.

Videamus, qua arte hic vera falsis misceantur! Una Cinnamomi species nunc colitur; quod qui fieri non negaverit, negabit tamen, hanc solam speciem nasci, et Thunbergium in eo errasse, quod silvestrem illam et sponte nascentem arborem cum *Dawul Curundu* dicta componeret **).

---

*) *Annals of Philosophy.* Oct. 1817. p. 241. sqq.
**) l. c. p. 214.

Quis non ex istis potius concludat, reliquas omnes, quas cl. Thunbergius non solum enarravit, sed quarum folia iam ante multos annos alius quidam depicta edidit, haud Cinnamomi quidem arbores esse, sed tamen esse arbores sui generis, neque minoris eas habendas, ac illam, quam ex omnibus bene ab eo distinctam agnovimus speciem, *Dawul Curundu* seu Litsaeam Zeylanicam? Dignas itaque esse et istas, quas posteri e silvis in lucem proferant. — Porro in Marshallii sententiam inquirentes, discimus ab eo, »*Karuam* »Rheedii foliis neutiquam similem esse Cinnamomo, neque vivam ab auctore »observatam; sed proferre corticem aliquem crassiorem, optimo quidem Zey- »lanensi Cinnamomo inferiorem, eo vero Cinnamomo, quod in septentrionali- »bus et orientalibus insulae oris gignitur, praestantius plurimorum sententia iudi- »catum.« — Quomodo autem ex his sequitur, Cassiam illam Malabaricam, quam bene distinctae formae et speciei crescentem cernimus, a Lauro Cinnamomo minime differre? An quia et huius rami vetustiores cortice crassiore obducuntur, qui, cum delibretur, specie et sapore Cassiae Malabaricae similis esse perhibetur? Quis autem Pyri Mali et Cydoniae, vel Pruni avium et Cerasi detractos cortices tam scite discerneret, cum eiusdem aetatis spolia ei diiudicanda proponerentur?

Dein, si posteriores species, quas Thunbergius, vir cl., enumerat, distinguuntur, quid obstat, quo minus et reliquae plurimae, quas antiquiores illi auctores nequaquam maioris ad Cinnamomum praeparandum usus esse docuere, ob foliorum diversam figuram ipsae diversae habeantur, donec experto demonstretur contrarium?

Burmannus denique quam Cinnamomi perpetuo florentis in tabula 28 edidit effigiem, ea si veram Laurum Cinnamomum Lin., »paucissimis »tantum mutatis,« ostendit, qui fit, ut Laurus Cassia Linnei, ab hoc illustri viro sola huius ipsius figurae fide, uti fertur, constituta, non similis potius iudicetur Lauro Cinnamomo Linnei vel prorsus eadem species? An, quia Burmannus *Dawul Curundu* ad suam iconem citavit? Sed idem et Hortum Malabaricum laudat, et certe per nobis mirum videri debeat, Linneum arborem, quam vel nusquam terrarum viderat, vel, cum in Royeni herbario eam offenderet, verticillatae Lauri nomine adiecto, ulteriori

quasi examini servaverat, Lauri Cassiae nova appellatione descripsisse, figuras autem tam Burmanni, quam Rheedii, quarum alteram citavit, alteram ignorare non potuit, nauci habuisse, quin etiam quasi in ludibrium lectorum digitum in eas intendisse?

Quae cum ita sint, sententiam nostram paucis sic explicamus: speciem peculiarem ipsi agnoscimus *Dawul Kurundu* illam Zeylanensium, — laeti excipimus Marshallii accuratam Litsaeae huius Zeylanicae descriptionem, (quamvis »calycem tetraphyllum, qui flores quinque proferre dicitur,« nusquam genitum esse a natura asseveremus, et Laurum Myrrham Iaponicam ab ista multis differre haud persuasum sit); — neutiquam vero cum Marshallio, quomodo fieri potuerit, ut Linneus *Karuam* Rheedii Lauro Cassiae adscriberet, miramur, sed laude id potius dignissimum ab eo factum esse, censemus; scilicet cum semel cognovisset, iconem, a Burmanno datam, incertae esse fidei, Rheedium autem Cassiam multorum veterum pinxisse; quam figuram cum novae definitionis, in Fl. Zeylanica editae, aperte fundamentum poneret Linneus, semper dubium remanebit, cur synonyma priora retinuerit neglexeritque adscribere meliora.

Quare, si noster culpam quaerebat in Linneo, docendum fuit, illum, neglecto Cinnamomi floridi, a Burmanno editi, aliarumque isti cognatarum arborum discrimine, verissimam Lauri Cassiae iconem Rheedianam immerito silentio oppressisse; — neutiquam vero, veluti si probro verteret, quaerendum, quomodo ab eo citari potuerit ista figura, quae sola fere inter omnes huiuscemodi certa constitit et ab errore intacta.

LAURI CINNAMOMI ET AFFINIUM HISTORIA NATURALIS.

§. 17.

De Lauro Genere.

Genus Laurus in systemate sexuali Linnei Enneandriae Monogyniae adscribitur; in methodo naturali cum affinibus propriam constituit familiam, quam cel. Iussievus a genere nostro Laurorum nomine appellavit.

Genus istud secundum auctores plures, tam recentiores quam veteres, in plura genera secedit, quorum conspectum sequentibus exhibemus.

Genus Laurus L.

Calix quadri - s. sexpartitus, coloratus.

Stamina fertilia sex-novem, sterilia tria-novem, glandulas stipitatas simulantia. Pistillum simplex.

Fructus: bacca monosperma.

(Flores passim dioici.)

1) Antherae biloculares:

a) flores fasciculati, involucrati, interdum dioici; bacca nuda (i. e. sola calicis basi suffulta). Genus Laurus Iuss.

α. folia sempervirentia: L. nobilis etc.

β. — caduca: L. Benzoin *).

b) flores paniculati (saepe dioici); bacca nuda. Genus Sassafras nob.

c) flores paniculati; bacca calicis tubo baccato inclusa. Genera Cryptocarya et Endyandra Rob. Br.

2) Antherae quadriloculares:

a) flores fasciculati, involucrati, dioici; bacca nuda. Genus Litsaea Iuss. (Tetranthera Iacq. Hexanthus Lour.)

b) flores paniculati; bacca calice sexlobo suffulta. Genus Persea Plum. Gaertn. Humb. et Kunth.

c) flores paniculati; bacca cincta calice cupuliformi persistente

vel dentato. Genus Cinnamomum Burm. (Borbonia Gaertn.), quo pertinent Lauri species cinnamomiferae, in sequentibus descriptae.

vel integro. Genus Ocotea Aubl. Gaertn. Humb. et Kunth.

§. 18.

Descriptiones arborum cinnamomiferarum et affinium.

1. Laurus Cinnamomum L. — Tab. I.

L. foliis (oppositis) ovato-ellipticis obtusiusculis trinerviis, nervis supra basin subcoalitis apicem versus evanescentibus, petiolis ramulisque glabris.

---

*) Stamina sterilia desiderantur. An genus proprium?

Synonyma.

Cinnamomum Am. Lus. Enarr. in Diosc. Ven. 1557. p. 25.

Cinnamomum Fuchs. Opp. Tom. 1. p. 55.

Zimmet von Zeylon Lintschotten Orient. Ind. Tom. IV. p. 49.

Cinnamomum Zeylanicum Garcias de Arom. e vers. Clus. c. XV. p. 108.

Canella Zeylanica Clus. Arom. p. 170.

Cinnamomum et Canella vulgaris Zeylanica Joh. Bauh. Hist. Tom 1. p. 446. (exclus. fig. Thevetii.)

Canella Zeylanica, quae *Cuurdo* Piso in Bont. cap. 1. p. 165. c. icon.

Canella vera seu Zeylanica Ionston Dendrogr. p. 162. sqq. c. icon. folii tab. 153.

Cinnamomum sive Canella Zeylanica. C. Bauh. Pin. p. 408. I.

Cinnamomum Zeylanicum Breyn. in Ephem. Acad. Nat. C. Dec. 1. Ann. 4. p. 139 et 140.

Cassia cinnamomea sive Canella Zeylanica Herm. Lugd. Bat. p. 129. tab. 655 et 656. (folia nimis ovata.)

Cinnamomum s. Canella Zeylanica Rai. Hist. pl. p. 1561.

Rasse Coronde. Anonymus in Act. physico-med. Acad. Nat. C. Vol. 1. App. p. 4 fig. 1. (folium.) — Tab. n. VI. fig. 1.

Arbor Cinnamomi Goeller Dissert. de Cinnam. Trai. ad Rhen. 1709. p. 11. *Rasse Coronde* p. 18.

Arbor cinnamomifera Dexbach Disp. de Cass. Cinnam. et Malabath. in Valent. Histor. simpl. p. 599. (descript. opt.)

Cinnamomum foliis latis frugiferum Burm. Zeyl. p. 62. tab. 27. excl. plerisque Synonymis.

Arbor canellifera Zeylanica Breyn. Prod. II. p. 44. N. 1. (excl. plur. synonymis Burm.)

Laurus foliis oblongo-ovatis trinerviis nitidis planis Lin. Hort. Cliff. p. 154. (excl. syn. *Karua* Rheed. Mal. I. p. 107. tab. 57. et Var β. Cinnamomum perpetuo florens Burm. Zeyl. t. 28.)

Laurus foliis ovato-oblongis trinerviis basi nervos unientibus Lin. Flor. Zeyl. 145. Mat. med. p. 64. Sp. pl. I. 369. (excl. β *Katou Karua* Rheed. Mal. V. p. 105. t. 53.

Laurus Cinnamomum, foliis ovato-oblongis triplinerviis Lin. Syst. Nat. ed. Hall. 1760. p. 1010.

Laurus (Cinnamomum) foliis trinerviis ovato-oblongis, nervis versus apicem evanescentibus Lin. Sp. pl. II. 528.

Cinnamomum Blackw. tab. 354. (!)

Laurus Cinnamomum Burm. Ind. p. 91.

Cassia Cinnamomea Plucken. Almag. p. 88.

Laurus Cinnamomum Iacq. Amer. 117.

« « Gaertn. de fruct. Vol. II. p. 69. tab. 92. *)

« « Lin. Sp. pl. ed. Willd. Vol. II. p. 477. (excl. synon. indicatis.)

Laurus Cinnamomum Ait. Hort. Kew. Vol. II. p. 427. (exclus. syn. Andr. Rep. 596.)

« « Willd. En. hort. Ber. p. 434. ed. Linkii N. 3900.

« « *Marshall* in *Annals of Phil. Oct.* 1817. p. 1. (excl. fig.)

Laurus Cassia *Botan. Magaz.* N. 1636.

Laurus Cinnamomum (*Dar-cheeni* lingua Bengal.) Roxb. H. beng. p. 30. **).

« « *Dierbach Handbuch der medic. pharmaz. Botanik.* p. 151.

« « *Virey Histoire naturelle des Medicamens.* p. 163.

β foliis subcordatis latioribus. — Tab. II. fig. B.

γ foliis angustioribus. Roxb. l. c., ubi auctor acute rogat, numne haec varietas, quam eo tempore, quo Batavi Zeyloniam insulam in ditione sua tenebant, in terram continentem introductam esse narrat, idem sit, ac Cinnamomum illud perpetuo florens Burm., vel alia inferioris notae varietas, in Thes. Zeyl. p. 62 — 63 enumerata?

Patria.

Zeylonia insula, ibique nunc colitur, ut et in America australi; in insula Martinique (Sieber); in insula Franciae (*Guibourt*). In hortis nostris minus

---

*) Fructus, l. c. descripti et delineati, cum ab iis specierum affinium, tum a fructibus, in speciminibus nostris obviis, tum ab auctorum omnium descriptionibus ita aberrant, ut dubia oriantur, an isti revera sint huius arboris.

**) Libro hoc rarissimo, nec iam a bibliopolis emendo, precibus Hunnemanni, viri obsequiosissimi, inductus, benigne uti concessit vir clariss. *Shepherd.* Inscriptio eius haec est: »*Hortus Bengalensis, or a Catalogue of the Plants growing in the* »*honourable east India Companys botanic Garden at Calcutta. Serampore. Printed* »*at the Mission Press.* 1814. in 8. maior.«

rara. Varietatem β vidimus siccam cultam, e Iava insula allatam; γ colitur in horto Calcuttano, e Zeylonia missa.

D e s c r i p t i o.

Arbuscula, in horto medico culta, sex pedes alta, inferne vix pollicem dimidium crassa. Truncus erectus, a basi ramosus, ibique cortice sordide lutescente-cinereo indutus. Rami inferiores subsimplices, longissimi, virgati, flaccidi, basi nudi, versus apicem foliosi, crassitie parum decrescentes, cortice viridi glabro tecti; superiores breviores, brachiatim divaricati, laeves, nitidi. Petioli 6-8-lineares, horizontales, supra sulcati, glabri. Folia opposita, decussata, deflexo-pendula, ovato-elliptica (in var. β subcordata), obtusiuscula, lateribus adscendentibus subcanaliculata, integerrima, dura, supra lucida, subtus cinereo-glaucescentia; biennia maiora, saturate viridia, 5-6 uncias longa, duas circiter lata; iuniora primo vere veluti cum impetu quodam erumpentia, colore eleganter rubello conspicua, sensim flavo-viridi tinguntur. Fasciculi vasorum, ad basin foliorum in unum latum nervum collecti, in tres nervos principales albos excurrunt, quorum duo laterales folii apicem non attingunt, duo alii secundarii tenues, ad infimam basin orti, marginem petunt ibique cito disparent. (Folia itaque revera quintuplinervia.) Pedunculi ad apicem ramorum terminales et axillares, ramosi, paniculati, albi, inferiores folio longiores, superiores breviores. Pedicelli oppositi, subtriflori, tenuissime pubescentes. Flores parvi, albidi, suffuso aliquo virore.

Corolla (perianthium) hexapetala, petalis oblongis obtusiusculis concavis erecto-patentibus utrinque pube tenuissima tectis. Filamenta fertilia novem, corolla vix breviora, quorum sex exteriora, petalis opposita, antheras latere interiori (antice), — tria in medio collocata, latere exteriore (postice) antheras ferunt, plana, versus apicem dilatata, flavo-viridia. Antherae pro more generis filamentis immersae, quadriloculares, loculis remotis, uno supra alterum sito, a basi ad apicem dehiscentibus. Pollen globosum, flavum, margine pellucido cinctum. Stamina novem abortiva, glandulas stipitatas flavas triangulares exhibentia, ad basin filamentorum, quorum tria cum staminibus interioribus alternantia, sex autem per paria fertilium interiorum basi extus approximata. (Cum

hae glandulae merito pro staminibus abortivis habendae sint, Lauris rectius adscribuntur stamina 18, triplici ordine ita disposita, ut sex exterioribus fertilibus secundus ordo sterilium alternatim respondeat, tum tertius ordo e staminibus sterilibus fertilibusque constet.) Germen subglobosum, uniloculare, fundo corollae immersum, glabrum, viride. Stylus teres, longitudine filamentorum, stigmate capitato triangulari flocculoso candido terminatus. Fructus: bacca ovalis, glandi quercus nostrae perquam similis, 8 lineas longa, 5 lineas lata, cupulae angulatae apiceque sexdentatae insidens.

Obs. Flores diurni per paucas horas tantum sese aperiunt odoremque singularem, a Linneo spermaticum dictum, spirant.

Sapor gratus Cinnamomi in petiolis et cortice satis evidens et parum mucilaginosus. In arbuscula, nunc secunda vice flores ferente, sapor iste debilior evasit. Folia siccata sapore gaudent aromatico acri, caryophyllorum sapori simillimo.

Adn. I. Specimina Zeylanica sicca, in herbario Royeni nomine Lauri Cinnamomi servata, quae benignitati b. Brugmansii, pie colendi, debemus, cum arbuscula nostra ad amussim conveniunt, quod e comparata Tabula II, iconem fidam speciminis huius exhibente, clare patebit. Sapor quoque cinnamomi vetustis istis ramulis integer remansit. Cum in herbario Royeni saepius schedulis sententia Linnei adscripta reperiatur, verosimillimum videtur, Linneum ipsum, cum Royeno familiari usu iunctum, dum apud Batavos degeret, specimina ista vidisse et pro vero L. Cinnamomo habuisse.

Adn. II. Cum Marshallius in descriptione Lauri Cinnamomi, l. c. impressa, folia oblonga utrinque subacuta 6 – 9 uncias longa 2 – 3 uncias lata tradiderit, utrum arborem nostram, an potius Laurum Cassiam Lin. ante oculos habuerit, adhuc dubitari possit, nisi foliis istis sapor aromaticus caryophyllorum ab eo adscriberetur, quod de L. Cassiae foliis dici nequit. Reliqua conveniunt.

Arbor secundum auctorem istum in altitudinem 20 - 30 pedum crescit, 12 – 18 uncias in diametro metiens. Flores mensibus Ianuario et Februario apparent; semina maturescunt Iunio, Iulio et Augusto. Bacca ovalis, ribis nigri (*black currant*) bacca maior, receptaculo crasso viridi hexagono, quercus cu-

pulae simili, insidet; matura coeruleo - nigra evadit, maculis albis picta. Sarcocarpium pulposum, viride, odorem therebinthinaceum spirat; sapore parum acri baccis iuniperi nostrae accedit. Semen testa tenui, sed firma, núcleum oleosum mollem pallide roseum et inodorum includit.

Fructus hi a pluribus avibus devorantur. Bubuli, caprae, cervi et equi folia avide comedunt. — Arbor sane miranda ob diversa et praestantissima, quae producit, aromata: radix camphoram, liber trunci oleum cinnamomi, folia oleum caryophyllorum, fructus denique oleum aethereum, iunipe-rino simile, *) cum pinguedine mixtum gignunt.

2. LAURUS Cassia Lin. — Tab. III.

L. foliis (subalternis) oblongo-lanceolatis triplinerviis, nervis ad apicem folii evanescentibus, petiolis et ramulis iunioribus sericeo-tomentosis.

Synonyma.

Zimmet von Malabar Lintschotten Or. Ind. Tom. IV. p. 49.
Cinnamomum malabaricum Garcias e vers. Clus. cap. XV. p. 108.
Canella A Costa Arom. apud Clus. Opp. Vol. II. cap. VIII. p. 262.
Canella malabarica Clus. Arom. p. 170.
Canella A Costae malab. Ioh. Bauh. Hist. I. p. 437.
Canella malabarica Piso in Bont. cap. I. p. 165. c. icone.
Canella Columnae Ionst. Dendrogr. p. 162. c. icone tab. 153.
Cinnamomum sive Canella malavarica C. Bauh. Pin. p. 409. (excl. *Canella do Mato* Lintsch.)
Canella seu Cassia lignea off. Breyn. in Ephem. Acad. N. C. Dec. I. Ann. 4. p. 139.
Karua Rheede Mal. I. p. 107. tab. 57.
Cassia lignea seu malabarica Herm. Lugd. Bat. p. 130.
Cinnamomum sive Canella malavarica Rai. Hist. pl. p. 1560.

---

*) Ex quo concludi potest, fructus immaturos, qui Florum Cassiae nomine venduntur, perperam huic speciei ab auctoribus esse adscriptos, cum oleo Cinnamomi praestantissimo abundent.

Canella malabarica Dexbach de Cassia cinnam. et Malabath. in Valent. Histor. simpl. p. 600.

Arbor canellifera malabarica Breyn. Prod. p. 44. n. 3.

Cassia lignea Blackw. tab. 391. (icon opt. excl. syn.)

Laurus foliis lanceolatis trinerviis, nervis supra basin unitis Lin. Mat. med. p. 64. Sp. plant. I. 369.

Laurus Cassia Burm. Ind. p. 91. (excl. syn. omnibus praeter *Karua* Rheed. Mal. I. tab. 57.)

Laurus Cassia foliis lanceolatis Lin. Syst. N. ed. Hall. 1760. p. 1010

« « Gaertn. de fruct. Vol. II. p. 69. tab. 92.

« « Lin. Spec. pl. ed. Willd. Vol. II. p. 477.

Laurus Cinnamomum Lour. Flor. Coch. Vol. I. p. 305. sec. descr. (?)

« « *Andr. Repos.* tab. 595.

Laurus Cassia Ait. H. Kew. Vol. II. p. 427.

« « Roxb. H. Beng. p. 130.

« « Horn. Suppl. h. Havn. p. 134.

« « *Dierbach Handb. der med. pharm. Bot.* p. 152.

« « *Virey Hist. nat. des med.* p. 163.

Laurus Malabathrum Reinwardt in litt. ?

P a t r i a.

Malabaria (Rheede); Cochinchina (Lour.); Sumatra (*Virey*)? E regno Chinensi accepit cl. Reinwardt. In Zeylonia culta? — In hortis nostris rarior.

D e s c r i p t i o.

Arbuscula, in horto medico culta, trunco gaudet erecto, inferne semiunciam crasso, pedes quatuor et dimidium alto, superne cortice laevi virescente, versus basin ruguloso, cinereo-fuscescente, tecto. Rami pauci, parum divisi, patentes, apice foliosi; iuniores compressiusculi, tomento sericeo cinerascente velutini. Petioli semiunciales, crassiusculi, sericeo-tomentosi, ramulis simillimi. Folia mole sua saepe pendula, plerumque alterna, rarius opposita, oblonga, obtusiuscula, margine integerrima, dura, nitida, supra saturate viridia, subtus cinerascenti-glauca, t r i p l i n e r v i a. Nervi

principales ad apicem folii excurrentes, venis transversalibus crebris inter se connexi, supra foliorum basin ex uno et integro nervo ortum ducunt; in pagina superiori sunt albidi, glabri, immersi, in pagina inferiori contra valde prominent, ibique pilis sericeis vestiuntur. Longitudo foliorum variat: alia minora uncias quinque longa, sesquiuncias lata sunt, alia, quae maxima, uncias novem longitudine et uncias tres latitudine excedunt. Flores racemoso-paniculati ex axillis foliorum superiorum proveniunt. Paniculae erectae, folio parum breviores, e ramis alternis erecto-patentibus breviusculis apice bifidis sericeis constant, qui floribus brevissime pedicellatis terminantur. Corolla albida, extus sericeo-pubescens, laciniis ovalibus obtusis. Filamenta novem fertilia glabriuscula, sterilia glanduliformia tria inter interiora. Antherae ut in praecedente specie. Pistillum longitudine filamentorum. Fructus: bacca oblonga, glandi quercinae similis, basi cupula crassiuscula viridi sexdentata cincta, primum viridi-fuscescens, nitens, punctis albidis adspersa, dein matura coeruleo-fusca, nucleum rubro-coerulescentem includens. Sapor acris et subamarus. (Quis est, qui, collata hac descriptione, Flores Cassiae officinarum fructus huius arboris immaturos esse, sibi persuadeat?)

Obs. Cortex et petioli sapore gaudent Cinnamomi acri et praestantissimo; folia in arbuscula nostra fere insipida, mucilaginosi et subausteri saporis, nec Cinnamomum nec Caryophyllos referentis.

Adn. Species ista ab antecedente habitu magis arboreo, foliorum forma et magnitudine, (cum in L. Cinnamomo latitudo, cum longitudine collata, numeris 1 : 2 in Lauro Cassia vero numeris 1 : 3 respondeat,) nec non inflorescentia magis racemosa et numero staminum sterilium maxime distincta. — In Malabaria, Rheedio teste, arbor ad altitudinem quatuor et quinque pedum assurgit et ambitu amplexum unius brachii implet.

3. LAURUS Malabathrum Lin.

L. foliis (suboppositis) oblongis acutiusculis trinerviis, nervis ad apicem folii cum nervo intermedio confluentibus.

S y n o n y m a.

Malabathrum et Folium Indum offic. Ioh. Bauh. Hist. I. p. 430 — 435.

Malabathri folium Breyn. in Ephem. Acad. N. C. Dec. 1. Ann. 4. p. 139 et 140.

Arbor canellifera indica cortice acerrimo viscido s. mucilaginoso Breyn. Prodr. II. p. 44. n. 2.

Katou Karua Rheed. Mal. V. p. 105. tab. 53.!

Canella sylvestris malab. Rai. Hist. p. 1562.

« « « Dexbach in Valent. Hist. simpl. p. 600.

Laurus Malabathrum, foliis trinerviis ovato-lanceolatis, nervis versus apicem confluentibus Burm. Ind. p. 92.

L. Cinnamomum Var β Lin. Flor. Zeyl. 145. Mat. med. p. 64. Spec. pl. ed. Willd. Vol. II. p. 477.

L. malabathrica Roxb. H. beng. p. 30.

L. Malabathrum *Dierbach Handbuch der med. pharm. Bot.* p. 152.

« « *Virey Hist. naturelle des med.* p. 163.

P a t r i a.

Malabaria, et quidem in locis montosis Provinciarum *Teckencour* et *Berkencour* (Rheede); in hortis nostris, atque adeo in ditissimis Anglorum caldariis, frustra quaeritur.

D e s c r i p t i o.

Arbor, secundum Rheedium, qui solus eam descripsit et icone illustravit, Lauro Cassiae perquam similis est, sed maior et altior. Folia maxima, pedem et sesquialterum longa, uncias quinque et ultra lata, oblonga, acuta, trinervia, nervis validis in folii apicem percurrentibus et venulis crebris inter se connexis. Flores parvi, inodori, viridi-albicantes, in paniculas terminales trifidas dispositi. Corolla quinquepartita. Stamina quinque. (?) Bacca parva, caliculata, magnitudine ribium.

A d n. I. Corticem huius arboris cum eo Lauri Cassiae odore et sapore convenire, ex Rheedio comperimus. — In officinis nostris nomine C a s s i a e l i g n e a e occurrit, colore obscuriori et mucilaginis abundantia insignis. Saepius vero et huius et Lauri Cassiae cortex, destillatione omni fere oleo aethereo privatus, dicto nomine divenditur. Folia utriusque speciei sunt F o l i a I n d i offic.

in quo nobiscum consentit cl. Reinwardtius in litteris. Fructus, uti e descriptione exhibita patet, iis, qui Florum Cassiae nomine in usu sunt, magis quam antecedentium fructus accedunt, ut rectius sane huic speciei, quam illi, eo usque adscriberentur, donec dubia, circa hanc rem commota, peregrinatorum industria solvantur.

Adn. II. Quae proxima Lauro Malabathro videtur accedere, L. iners Reinw. ined., cortice insipido nervisque non excurrentibus satis differt. Habitat in Iava insula.

4. LAURUS Burmanni nobis. — Tab. IV.

L. foliis (suboppositis) ovato-oblongis apice attenuatis trinerviis, nervis supra basin subcoalitis, lateralibus supra medium evanescentibus, petiolis ramulisque glabris.

Synonyma.

Canella Iavanensis C. Bauh. Pin. p. 409. 2.

Nieke Coronde Acta Acad. N. C. Vol. I. App. p. 4. n. 6. (folium) — Ic. nost. tab. VI. f. 6. (?)

Arbor canellifera odore Lauri vel Myrrhae Herm. Breyn. Prod. II. p. 45. Pluck. Mant. p. 40. pro parte.

Cinnamomum perpetuo florens folio tenuiore acuto. Burm. Zeyl. p. 63. tab. 28! (fig. pessime repetita a Marshallio *Ann. of Phil. Oct.* 1817.)

Laurus Cassia Lin. Flor. Zeyl. 146. (?)

" dulcis Roxb. Herb. Willd. — Roxb. H. bengal. p. 30?

Patria.

Iava insula, in silvis abundans (Reinwardt et Blume; fide speciminum, a Blumio, viro amicissimo, in ista insula lectorum nobisque benigne communicatorum); Malabaria (secundum herbarium Willdenowianum, quo per eximiam Summi Regii Ministerii humanitatem uti licuit); Zeylonia insula (Burm.); China (Roxb.)

Descriptio.

Arbor ramulis patentibus, cortice e griseo fuscescenti tectis. Folia subopposita, ut in affinibus, ex oblonga et subacuta basi in acumen longum obtusiusculum producta, trinervia, nervis in medio folii in venarum rete solutis, glaberrima, supra viridia subtus glaucescentia, duas ad tres uncias longa, unciam rarius sesquiunciam lata. In ramo sterili folia occurrunt ovata, subacuta. Flores copiosi, racemoso-paniculati; paniculae axillares, extraaxillares et terminales, pauciflorae. Pedunculi graciles, glabri, inferiores sesquiunciales, superiores breviores, subtrichotomi, pedicellis duas ad quatuor lineas longis pubescentibus, saepius ternis. Corolla sexpartita, laciniis ovali-lanceolatis acutiusculis extus intusque strigoso-pilosis. Filamenta fertilia novem, corolla parum breviora, in facie, marginibus et linea dorsali pilis albidis ciliata; sterilia novem, dimidio breviora, glanduliformia, eodem modo, quo in L. Cinnamomo, disposita. Antherae quadriloculares ut in antecedentibus.

Stylus stigmate magno peltato subtrigono terminatus. Fructus baccam refert nigro-fuscam magnitudine pisi maioris, calici persistenti (cupulae) ratione brevi turbinato inaequaliter dentato, a fructu basi dehiscenti insidentem. Nucleus ut in congeneribus unctuosus, odorem spargens simillimum ei, quem in baccis Lauri nobilis percipimus.

Obs. Species haec primae nostrae speciei quodammodo accedit, sed ramulis tenuioribus, foliis angustioribus multo magis acuminatis, paniculis saepius supraaxillaribus paucifloris, fructu minori, cupula abbreviata et magis dehiscente satis differt.

Folia sapore Cinnamomi, sed debili, gaudent, et cortex recens secundum cel. Reinwardtium eiusdem est saporis, qui vero in speciminibus siccis desideratur.

5. LITSAEA Zeylanica. — Tab. V.

L. foliis oblongis utrinque acuminatis trinerviis subtus glaucis, capitulis quinquefloris, calicibus quadrifidis hexandris.

Synonyma.

Dawul Kurundu Act. Acad. N. C. Vol. I. App. p. 4. tab. 2. f. 6. — Tab. nostr. VI. f. 7.

Laurus Zeylanica flosculis verticillatis folio trinervio Herm. Mus. Zeyl. 26.

Cassia cinnamomea myrrhae odore Pluck. Alm. p. 89.

Dawul Kurundu (*Nieka Dawula, Nieka Kurundu*, Laurus Cassia L.) *Marshall. Ann. of Phil.* 1817. *Oct.* p. 243. tab. 71. f. 1.

(Descriptio bona, sed involucrum calix tetraphyllus quinqueflorus vocatur. Stamina novem indicantur. Florem hermaphroditum viderit, an unisexualem, e desriptione non apparet. »Corticem radicum gustu amarissimum esse, folia et corticem trunci et ramorum minus amara, myrrhae odore et sapore debili.«)

Patria.

Zeylonia insula (Herb. Royeni.) — In herbario Schreberi Lauri Cassiae nomine, addito *Dawul Kurundu* synonymo, asservatur ramus huius arboris, a Burmanno ad Schreberum missus.

Descriptio.

Ramus crassitie pennae gallinaceae, cortice tenui glabro striato fusco indutus, cicatricibus foliorum gemmarumque pulvinis orbicularibus pallidis notatus, apice divisus in ramulos angulatos pubeque tenui cinerascente adpressa vestitos, basi nudos apice foliosos. Folia alterna vel subopposita, approximata, petiolo semiunciam longo crassiusculo subtus convexo supra canaliculato pubescenti-strigoso succulento innixa, pollices 4 ad 4 1/2 longa, poll. 1 et lin. 5-7 lata, oblonga, basi acuta, apice longe attenuata, sed ipso apice obtusiusculo, integerrima, supra, costa baseos excepta, glabra et viridia, subtus caesio-glauca et ad costas venulasque pube minuta adpressa, lente tantum armatis oculis conspicienda, adspersa, triplinervia, nervis lateralibus prope a basi oriundis paullo ultra medium folium excurrentibus, rete folii subtilissimo et pulcherrime nexo. Flores in foliorum axillis, pauci etiam in inferiori nudaque ramuli parte, subglomerati e gemma parva erumpunt, squamis ovatis obtusis villosulis basi circumdati. Pedunculus communis vix lineae longitudine, crassus, angulatus, pubescens, capitulis vel singulo vel binis, altero pisi vix magnitudine, altero

multo minore, involucratis terminatus. Capitulum quinqueflorum. Involucri foliola quinque, orbiculata, concava, extus tomentosa, imbricantia. Flores minuti, dioici, in pedicellum attenuati, extus hirti, limbo quadrifido, laciniis ovatis obtusis margine ciliato-villosis. Stamina quinque ad sex, inaequalia; filamentis brevibus; antheris tetragonis obtusis valvulis quatuor instructis, tribus interioribus subsessilibus, et uti videbatur abortivis. Foemineum florem non vidimus.

Differt a Litsaea apetala Roxb. foliis attenuatis, involucro quinquefloro nec octo- ad duodecimfloro; — a Litsaea trinervia Pers., cui facile omnium proxime accedit, foliis non ovato-attenuatis, sed oblongis utrinque attenuatis et floribus dioicis. Laurus involucrata Retzii, vulgo ad Litsaeam trinerviam citata, videtur differre foliis obovatis, minime autem extenuatis acuminatisve.

Litsaeam trinerviam Pers., quam cum antiquiori nomine, a Loureiro in Flora Cochinchinensi eidem tributo, potius appellandam esse censemus, his verbis circumscribimus:

6. LITSAEA Myrrha nobis.

L. foliis ovato-attenuatis acuminatis trinerviis subtus glaucis, capitulis quinquefloris, calicibus sexfidis enneandris.

Synonyma.

Cassia, cinnamomeae myrrhae odore Phytographiae similis ex insula *Cheusan* Pluck. Phytogr. app. tab. 381. fig. 2. Amalth. p. 52.

Laurus Iaponica auct. Rumph. Herb. Amb. p. 63.

Cassia Myrrha, *α) ó duoc deau-dang, β) Ū yŏ.* Laurus Myrrha Lour. Flor. Cochinch. ed. Willd. Vol. I. p. 308. (excl. syn. Canella Zeyl. Herm. Mus. Zeyl.)

Litsaea trinervia Iuss. *Ann. du Mus.* Vol. VI. p. 212. (excl. syn. Herman.)

« « Pers. Syn. Vol. II. p. 4.

Adn. Litsaea sebifera Iuss. (Tomex sebifera W.) ob folia venosa confundi cum istis non potest, etiamsi florum et inflorescentiae summa eius inveniatur similitudo.

7. LAURUS Culilawang L. *)

L. foliis oppositis ovato-acuminatis triplinerviis, nervis sub apice confluentibus.

S y n o n y m a.

Cortex caryophylloides Rumph. Vol. II. p. 65. tab. 14. (extr. in Valent. Ind. lit. (Hist. simpl.) cap. 24. p. 450.) — Ephem. Ac. N. C. Dec. II. Ann. 1. p. 55. (nec Ann. 3. p. 53.)

Laurus foliis oppositis triplinerviis Lin. Mat. med. (ed. Schr.) p. 108. Mant. 237.

Laurus Culilaban Lin. Sp. pl. ed. Willd. Vol. II. p. 478.

Laurus Culitlaban Roxb. H. beng. p. 30.

" " *Crawfurd Hist. of the Ind. Archip.* Vol. I. p. 511.

Laurus Culilaban *Dierbach Handb. d. mediz. pharmaz. Bot.* p. 154.

P a t r i a.

Indiae orientalis Insulae: Moluccae (Roxb.), Philippinae et Amboina praesertim (Rumph.)

D e s c r i p t i o.

Arbor alta et satis crassa, quam homo vix ulnis amplecti possit, cortice aromatico subverrucoso cinereo obducta. Folia petiolata, decussata, ovato-acuminata (in icone Rumph.), in vetustis arboribus palmam longa, tres ad quatuor digitos lata, triplinervia, nervis percurrentibus, glaberrima, firma et sicca, supra viridia subtus glaucescentia **). De florum structura (ob insignem arboris altitudinem difficilius observanda) silet Rumphius noster, itaque de genere, cui arbor ista adscribenda sit, nisi ex habitu statui quidquam nequit. Nihilominus tamen

*) Scribendum esset: *Kulit-lawang*, i. e. cortex caryophyllatus, a vocibus Malaicis *Kulit* cortex et *Lawang* caryophyllus aromaticus. In lingua Malaica appellatur *Poheree - Lawang*.

**) Rumphius l. c. folia Cinnamomi, Cassiae ligneae (i. e. L. Cassiae) et illa arboris Culilawan comparans, sequentia refert: »C i n n a m o m i folia sunt latiora, breviora, rotundiora, C a s s i a e l i g n e a e oblonga acuminata, C u l i l a w a n i folia longissima, firmissima.«

praetereundum non est, in icone citata flores parvos, per paniculas densiores in ramorum apicibus dispositos adesse, tametsi auctor in descriptione sua eorum disertis verbis non meminerit. Fructus baccas referunt oblongas, glauci coloris, monospermas; caeterum fructibus Laurorum simillimi dicuntur, qui tempore maturitatis uno latere dehiscentes, massam fungosam mollem, coloris flavi, saepe ad magnitudinem nucis iuglandis emittunt et monstrosam quandam faciem induunt. Semen maturum purpureo-rubens.

Adn. I. Ab hac specie differre videtur

L. Culilawang Reinw. in litt.

L. foliis (suboppositis) lato-lanceolatis trinerviis, nervis supra basin subcoalitis, petiolis ramulisque iunioribus glabris.

Syn. *Syndoc.* Valent. descr. Amb. p. 217. Rumph. Amb. p. 69? Conf. *Crawfurd Hist. of the Ind. Archip.* Vol. I. p. 512: *Sendok* i. e. Culitlawan Iavanensium.

Ramuli, quos in provincia Bantam Iavae insulae collegit et nobiscum benigne communicavit Blumius noster, cortice fusco, odore et sapore caryophyllaceo insigni gaudent. Petioli fusci, glabri, oppositi; inferiores interdum alterni. Folia oblongo-lanceolata, iis L. Cassiae similia, sed angustiora et longiora, supra viridia subtus glaucescentia, trinervia, nervis ut in L. Cassia excurrentibus et basi ut in L. Burmanni nostra approximatis et subconfluentibus. Quoad magnitudinem folia valde variant, alia maxima, decem uncias longa, latitudine uncias duas et dimidiam parum superant, alia 5 – 6 uncias sunt longa sesquiunciam vix lata. — Flores desiderantur.

Adn. II. Cortex utriusque arboris est Cortex Culilaban officinarum, sapore acri, caryophyllis aromaticis simili, insignis. Nunc inter medicamenta obsoleta et ad cosmetica Indorum reiectus, rarior inter merces occurrit. Cortex radicis sapore et odore ab eo trunci valde recedit, quod et in aliis Lauri speciebus observatur, convenit enim sapore cum cortice Lauri Sassafras, ita ut olim Bataviae a medicis pro vero ligno Sassafras suppeditaretur.

Adn. III. Plures sunt Lauri generis species, foliis nervosis habituque ad eas, quas in antecedentibus enumeravimus, accedentes. Harum autem multae, a nullo auctorum descriptae, nos latent. Exemplo sit Iava insula, quae praeter

Laurum Burmanni et L. Culilawang, vel saltem speciem huic proximam eiusdemque virtutis, celeberr. Reinwardtio septem easque distinctissimas species praebuit, suo tempore ab eo publicandas. Nomina earum sunt: L. iners. R., L. caryophyllata R. (cortice caryophyllato, Culilawang simili), L. alba R., L. microphylla R., L. calophylla R. (quae forte L. Malabathrum H. M.?), L. triplinervia R. et L. obovata R.

§. 19.

Species dubiae atque ulterius examinandae.

1. *Cahatte Coronde*, (*Kurunde* vel *Curundo*, amarum et adstringens Cinnamomum.

Historia Cinnamomi in Act. Acad. N. C. Vol. I. App. p. 4.
Goeller Disput. de Cinnamomo. p. 18.
Thunberg It. Vol. II. p. 190.
Icon nostr. tab. VI. fig. 2.

Folia iis L. Cinnamomi perquam similia, in superficie multis venulis inaequalia.

In Zeylonia, sed rarior.

2. *Capperoe* (*Capperu*) *Coronde*, Cinnamomum camphoratum.

Histor. Cinnam. l. c. p. 4.
Goeller l. c. p. 18.
Thunb. l. c. Vol. II. p. 190.
Icon. nostr. tab. VI. fig. 3.

Folia antecedentibus minora, e viridi livida, trinervia, nervis ad apicem folii confluentibus.

In partibus orientalibus Zeyloniae frequens, ubi incolarum fraude plurimum eius olim pro vero Cinnamomo divendebatur.

3. *Welle Coronde*, Cinnamomum arenosum.

Histor. Cinnam. l. c. p. 5.
Goeller l. c. p. 19.
Icon. nostr. tab. VI. f. 4.

Folia ovato-elliptica, apicem versus latitudine decrescentia, maiora, (apice rotundata Goell.), trinervia, nervis supra medium evanescentibus.

In Zeylonia.

4. *Sewel Coronde*, Cinnamomum mucilaginosum.

Histor. Cinnam. l. c. p. 5.
Goeller l. c. p. 19.
Thunb. l. c. Vol. II. p. 191.
Icon. nostr. tab. VI. fig. 5.

Folia elliptica, trinervia, nervis excurrentibus, verrucis minutis obsita, (satis lata et longius acuminata Goeller).

In Zeylonia satis frequens.

5. *Nieke Coronde*, Cinnamomum foliis Viticis Negundo, (*Niekegas* seu *Nicacol* dictae.)

Histor. Cinnam. l. c. p. 5.
Goeller l. c. p. 19.
Thunb. l. c. Vol. II. p. 191.
Icon. nostr. tab. VI. fig. 6.

Folia ovali-lanceolata, reliquis minora, triplinervia, nervis supra medium evanescentibus. His magna cum L. Burmanni intercedit similitudo, qua commoti, hanc figuram in antecedentibus illi adscripsimus.

In Zeylonia.

6. *Catte Coronde*, Cinnamomum spinosum.

Histor. Cinnam. l. c. p. 6.
Goeller l. c. p. 20.
Icon. nostr. tab. VI. fig. 8.

Folia ovata, acuta, venoso-rugosa, nec trinervia. Arbor haec vix Lauri generi adscribenda.

In Zeylonia.

7. *Mael* (*Māl*) *Coronde*, Cinnamomum floridum.

Histor. Cinnam. l. c. p. 6.
Goeller l. c. p. 20.
Thunb. l. c. Vol. II. p. 191.
Icon. nostr. tab. VI. fig. 9.

Folia oblonga, acuminata, trinervia, nervis sub apice evanescentibus, hinc inde verrucis obsita.

In Zeylonia rarior.

Nai Curundu Thunb., l. c. Vol. II. p. 190., Lauri Cinnamomi varietas videtur. — *Tompat Curundu* seu Cinnamomum trifoliatum eiusdem auctoris solo nomine hic afferri potest.

Huc pertinet etiam planta dubia, *Canella do mato* dicta, seu arbor silvestris Iavanensis foliis parvis rhomboideis, cuius cortici sapor Cinnamomi debilis adscribitur. Lintschotten Ind. or. P. IV. Tab. XVII.

Conf. Arbor canellifera sylvestris japonica (?) folio minimo Breyn. Prodr. 2. p. 18. et Cassia cinnamomea sylvestris Iavanica rhomboideo folio parvo, fructu caliculato Pluck. Alm. p. 89. Phytogr. tab. 19. fig. 3.

(Forsan et ex hac arbore Flores Cassiae venales colliguntur.)

§. 20.

Descriptio corticum Cinnamomi venalium.

1. Cinnamomum Zeylonense.

Bacilli variae longitudinis, pedales et sesquipedales, teretiusculi, crassitie digiti, e tubulis pluribus corticis, sibi invicem arcte superimpositis et convolutis, ita exstructi, ut vacuum nullum in centro remaneat. Ipse cortex crassitie chartae papyraceae firmioris, fragilis. Color cinnamomeus, satis notus, in pagina exteriori dilutior in flavum vergit, in interiori magis fuscescit. Si accuratius inquiramus, discrimen inter stratum exterius (corticem) et interius (librum) statim in oculos cadit. Cortex, lente parum augente examinatus, in superficie externa fibras ostendit longitudinales satis conspicuas, coloris pallidioris atque e pluribus fibrillulis tenuissimis constantes, quae hinc inde a se invicem discedunt, ramos emittunt et omnem corticem sine ordine percurrentes, mox iterum in unum colliguntur. Fibrillulae istae, sub microscopio composito conspectae, ut tubuli apparent pellucidi, continui, in quibus granula minutissima observantur, quare tubuli isti fibras corticales, i. e. libri vetustioris residua potius, quam vasa propria esse videntur, a quibus pelluciditate et longitudine recedunt. Liber colore obscuriore, facie fibrosa, sapore et odore fortiore a

cortice distinguitur. Tubercula e libro prominent minuta, compressa, e radiis medullaribus (*Markstrahlen*) orta, qui librum et ipsum corticem intrant. Si segmentum longitudinale libri lente satis augente illustratur, radii isti medullares in conspectum veniunt, qui inter libri cellulas valde elongatas, partim hyalinas, partim flavido colore tinctas, tanquam lineolae cernuntur breves, oblongae, utrinque acutae, e cellulis minoribus circiter 12–14, in duplici serie dispositis, constructae. Discimus ex his, radios illos esse medullares, minores dictos, (*kleine Markstrahlen*,) qui liquore rubro repleti, aromatis huius praestantissimi veri sunt fontes, eoque praestantius esse cinnamomum, quo magis liber substantia corticali fuerit denudatus. Praeter haec ex disquisitione hac anatomica novum haurimus argumentum, cellulas radiorum medullarium, in plantis quibusdam succos proprios vehentes, vasorum propriorum vices suscipere posse, quod in Iunipero virginiana iam observavit cel. Kieserus, summus nostri aevi phytotomus.

2. Cinnamomum indicum seu chinense (Cassia cinnamomea)

tota facie externa, crassitie, colore obscuriori et sapore fortiori magis acri satis distinctum, structura anatomica cum antecedente convenit et in sequentibus tantum discedit:

1) Liber contextus densioris, cortici crassiori arctius adhaeret.

2) Striae in superficie corticis fibras validiores et tenaciores sistunt, itaque a cortice facilius detrahi possunt.

3) Radii medullares, in pagina interna magis prominentes, plures numero, interdum et crassiores, e quadruplici cellularum serie formati conspiciuntur, quo causam intelligimus, cur maiorem olei aetherei copiam in hoc, quam in antecedente cortice, reperimus.

§. 21.

De modo Cinnamomum colligendi.

Herb. de Jager Relatio de messe Cinnamomi in Valent. Hist. Simpl. 1716. p. 439.

Ch. Lud. Goeller Ratisb. Disput. med. de Cinnamomo. Traiecti ad Rhen. 1719.
Historia Cinnamomi, in Actis Acad. N. C. Vol. I. App. 1727.
Thunbergs Reisen in Afrika und Asien, deutsch von Groskurt. 2 *Bd.* 8. 1792—94.
Description of the Laurus Cinnamomum by Henry Marshall, in *Annals of Philosophy. October*, 1817. et in *Asiatic Journal.* Aug. 1818. p. 136.
Guibourt Histoire des drogues simples. Paris 1820.

De collectione Cinnamomi agere cogitanti, mox quaestio illa, magnis difficultatibus obnoxia, obviam fertur; utrum duae istae Cinnamomi venalis species, de quibus supra sermo fuit, ab una eademque arbore, an potius a duabus illis, L. Cinnamomo et L. Cassia, colligantur? Omnes fere, qui in operibus suis Pharmacologiam tractantes, rem istam attigere, huc usque in eo consentire videbantur, quod Cinnamomum optimum Zeylonense a Lauro Cinnamomo L., alterum vero Cinnamomum indicum, (Cassiam cinnamomeam,) a Lauro Cassia L. originem trahere affirmarent. Novissimis tandem diebus dubia quaedam hac de re commota sunt, Anglorum quorundam culpa, qui in operibus suis Laurum Cinnamomum L. Lauri Cassiae nomine et, vice versa, Laurum Cassiam L. nomine Lauri Cinnamomi descripserunt et iconibus illustraverunt *); quo evenit, ut stirpes nostrae in hortis nunc saepius confusa hac synonymia laborent. Si in causam huius rei inquirimus, hanc illi solam rationem habuisse videntur, quod sapor Cinnamomi in L. Cassiae Lin. cortice fortior atque intensior reperiatur. Ceterum factu haud difficile fuit, hanc nominum confusionem explicare et dubia, de synonymia orta, dissipare; difficillimum id vero restat, dissolvere ipsam, de qua sermo est, quaestionem; quod potius peregrinatoribus, terras Cinnamomi feraces adituris, erit relinquendum.

Dolemus, Marshallium, praesidii Anglorum, nunc Zeyloniam insulam tenentis, chirurgum primarium, in commentatione sua, nuperrime de Cinnamomo conscripta, gravissima quaedam, de quibus adhuc incerti sumus, intacta reliquisse. Quis enim, si Laurum Cassiam Lin. et Laurum Cinnamo-

*) Conf. *Andr. Bot. Repository*, tab. 596. et *Bot. Mag.* tab. 1636.

mum L. unam eandemque arborem esse vir iste docet, sententiam hanc probabit? Quis laudabit eum, qui arbores istas, si utraque species in Zeylonia occurrebat, fusiori non dignaverit adumbratione? Namque virtute licet duae hae species proxime sibi conveniant, forma tamen atque sapore foliorum aliisque notis facillime distinguuntur.

Perlectis pluribus, quae hac de re scripta sunt, verosimillimum nobis visum est, cum plerisque scriptoribus, quorum de isto cortice sententiae in antecedentibus plenius exponuntur, statuere, Cinnamomum indicum, seu chinense dictum, in Malabaria e cortice Lauri Cassiae Lin., Cinnamomum tenue vero, Zeylonense dictum, in Zeylonia e cortice Lauri Cinnamomi L. et aliquot eius varietatum parari. Cinnamomi aliud genus minoris notae, quod e Zeylonia nomine *Canelle matte* affertur, cortice crassiore minus convoluto et sapore debiliori insigne, e cortice ramorum vetustiorum eiusdem arboris ortum, rarius in commercio occurrit. Forsan, uti auctores nonnulli ex recentioribus existumant, nunc et L. Cassia in Zeylonia colitur atque vel promiscue cum L. Cinnamomo, vel sola, in usum vocatur.

In Cochinchina, secundum praeclarum Loureiro, arbores, in altis montibus, ad occidentem Laosios versus sitis, indigenae, excorticantur, quo de cortice auctor sequentia refert: »Rami crassissimi dant vile Cinnamomum, quod plerumque abiicitur, quia longi itineris expensae pretium superant. Tenuior cortex, a supremis ramis avulsus, Zeylonico crassitie aequalis, odore et sapore acerrimus, non magni aestimatur, eoque utuntur indigenae ad condiendos cibos. At ramorum mediorum cortex, lineam fere crassus, optimum et pretiosum praebet cinnamomum, quo utuntur in medicina et quod multo altiori pretio venditur, quam Zeylanicum, illud praecipue, quod in Tunkino nascitur et raro invenitur.« Ex descriptione, a cl. auctore in Flora Cochinchinensi exhibita, arbores istas ad L. Cassiam potius quam ad L. Cinnamomum referendas esse, concludimus, — neque vero in Malabaria aliisve Indiae continentis oris Laurum Cinnamomum L. sponte a natura gigni, oculatissimum testem habemus cel. Roxburghium, qui in horto suo Bengalensi arbores Lauri

Cinnamomi e Zeylonia in hortum Calcuttanum illatas refert et hanc insulam illi solam patriam designat.

In Iava insula nostris temporibus nullum Cinnamomum colligitur, uti ex opere, quod inscribitur: *History of Iava by Th. Stamford Raffles, Esq.* Vol. 1. 1817. comperimus *). Huic repugnare videri possent, quae olim a multis scriptoribus, v. gr. Manardo, Garcia, Chirio, aliisque de Cinnamomo, e Iava insula merce delato, tradita sunt; sed quoniam figura arboris istius cinnamomiferae Iavanensis, a Lintschottenio **), posteaque a Pluckenetio ***) exhibita, aliam prorsus, eamque vix Lauri generis speciem, significare videtur †), verosimile est, usum huius Cinnamomi silvestris a recentioribus esse neglectum et una cum eo etiam memoriam istius arboris penitus interiisse.

Cinnamomum, quod ex arboribus, in America nunc cultis ††), a Cayennae emporio accipimus, partim merum L. Cinnamomi corticem, partim ut genus alterum, Cinnamomo nostro indico accedens, corticem L. Cassiae Lin. esse, statuere licet. De arboribus, cinnamomum praebentibus, quae in Sumatra, in Borneo et in insulis Philippinis occurrunt, nil certi constat. In Mauritii insula Laurus Cinnamomum, e horto botanico Calcuttano allata, colitur †††). Caeterum insula Zeylonia semper aromatis nostri praestantissimi patria erit salutanda, ubi et in colligendo et in colendo Cinnamomo Batavi quondam, nunc Angli, summam curam atque industriam adhibuerunt.

---

*) *None of what are called the finer kinds of spices, namely the nutmeg, clove, and* c i n n a m o n, *are indigenous to Iava; but the few trees, which have been planted in the gardens of Europeans, have thriven well: and from the nature of the soil and climate, there seems little doubt, that the nutmeg and clove, in particular, might be extensively cultivated throughout the island, did it suit the policy of the European governement to admit of their general introduction* l. c. p. 45. Conferatur etiam *Crawfurd Hist. of the Ind. Archip.* l. c.

**) *Orientalische Indien.* V. 4. p. 50. tab. 17.

***) Phytographia, tab. 13. f. 3.

†) Vide infra.

††) A. 1785. tria millia arborum e Zeylonia in Insulam Franciae translatae sunt.

†††) *Asiatic Iournal. Sept.* 1818. p. 294.

Cinnamomi fructus immaturi, qui nomine Florum Cassiae in officinis prostant, Marshallio teste in Zeylonia non colliguntur; quam ob rem istos fructus L. Cinnamomi, nec L. Cassiae esse, quod scriptores aliquot rerum pharmaceuticarum recentissimi perhibent, pro certo nequit affirmari. Praeterea flores Cassiae venales a fructibus iuvenilibus, quos in nostris Lauri Cinnamomi speciminibus observamus, et ab iis Lauri Cassiae, cupula parva fere globosa et margine integra quam maxime recedunt. — Nobis contra ea verosimillimum videtur, Flores Cassiae a Lauro Malabathro L. originem suam trahere, quod iam in antecedentibus indicavimus.

Si ad tempora illa, quibus Iagerus et Goellerus, commentarios suos, quorum supra mentio facta est, conscribentes, primum nobis et certiori et magis etiam sufficiente relatione modum decorticandae arboris exposuere, respicimus, nulla culturae arboris cinnamomiferae vestigia occurrunt. Zeylonenses, iussu et directione Batavorum in colligendo cinnamomo occupati, *Schialias* ibi nominati, ad decorticandas arbores silvestres bis per annum vastas insulae silvas permigrabant *), unde non raro contigit, quod Thunbergius narrat, ut tales operarii, fines agri, Societati Indiae orientalis subiecti, transgressi et intra limites Regis Candiae prehensi, auribus nasoque mutilati remitterentur. Sub finem saeculi decimi octavi iussu summi insulae Praefecti, D. nob. de Falk, arbores cinnamomiferae in solo, ad hanc culturam apto, conseri

---

*) Secundum Iagerum Schialiae isti, seu cinnamomi deglubitores indigeni, propriam hominum tribum e vilioribus quidem in Zeylonia constituunt: »regiones, quas inhabitant, *Mahbade* vocari, Praefectum indigenam, cui subiecti sint, *Modeliaar* appellari.« Idem auctor refert, tempore messis cinnamomi maioris, tunc temporis mensibus Iulio et seqq. instituendae, 200-400 saepius hominum istorum ad labores provocari, eosque Praefecto superiori, (deglubitorum Capitaneo dicto), militum aliquot decuriarum praesidio subordinatos, negotium messis peragere, in quo exercendo isti non raro elephantorum impetu nocturno, nec non hirudinum, quibus silvae illae cinnamomiferae scatent, peste vexentur. Quod praeterea auctor laudatus commemorat, totas arbores decorticari, decorticatas autem novo investiri cortice, id ulteriori non eget refutatione.

coeptae sunt. Iam Cel. Thunbergius tales Cinnamomi hortos, cum annis 1777 — 1778. hanc insulam adiret, prope *Katture* et *Mature* a se visos esse, narrat.

Marshallius de cultura et messe Cinnamomi pluribus egit, quae hic addimus. Laurus Cinnamomum solum amat arenoso-limosum, humo vegetabili mixtum. Seliguntur loci nemorosi, qui, arboribus fruticibusque excisis, ita collucantur, ut hinc inde arbores frondiferae remaneant, quarum umbra moderata fruentes, iuveniles cinnamomi arbores laete increscant. Lignum collectum loco remoto vi ignis in cineres redigitur. Solo sic parato, mensibus Iunio, Iulio et Augusto, quo tempore fructus cinnamomi maturescunt, terra distinctis intervallis 6-7 pedum spatio effoditur, ita ut areolae terrae formentur, quae singulae nunc cinere ligni permixtae, quaternos seu quinos cinnamomi fructus recipiunt. Frondibus superimpositis solem a plantulis, post 15-20 dies germinantibus, arcent, et ita mox cinnamomi seges laete viget.

In terra fertili hae arbusculae 6-7 annorum spatio ad 4-6 pedum altitudinem increscunt, rarissime vero ante nonum annum elapsum decorticantur. Talia Cinnamomi arboreta prope *Kaderang*, *Ekele*, *Marendahn* et *Morotto* hodie inveniuntur; plura alia, a Batavis olim exstructa, ab Anglis iam plane neglecta, silvescunt *). Maximum omnium illud, ad *Marendahn* (*Colombo*) situm, 3824 iugerum (*acres* Angl.) ambitu, quovis anno circiter 1124 fasces (103,970 libras Angl.) fert Cinnamomi.

Kaderang producit quotannis		535	fasces;
Ekele	—	—	341	—;
Morotto	—	—	218	—.
			2218.	

Praeter hos etiam neglecti agri largam praebent cinnamomi copiam; et e regno Candiae multum cinnamomum ab illis operariis (*Schialias*) per fraudem acqui-

*) In nemoribus istis cinnamomiferis cel. *Lechenault* plantas sequentes observavit: Anacardium occidentale, Pavettam indicam, Melastomam asperam, malabathricam, Ixoram coccineam, Nepenthen destillatoriam, Burmanniam disticham, Connari et Uvariae species. V. *Mémoires du Museum d'Hist. nat. T.* VIII.

ritur, quam ob rem ad calculum, hic positum, pro singulo anno adhuc 2119 fasces addendae sunt. Summa itaque cinnamomi omnis, quod nostris temporibus ab Anglis in Zeylonia quotannis colligitur, ad numerum sane ingentem 4337 fascium, seu 401,172 librarum anglicarum, increscit.

Mense Maio, quo tempore imbres cedunt et arbores succo abundant, Cinnamomi messis inchoat et in Octobrem usque continuatur. Nominantur Directores et Inspectores; distribuuntur inter operarios (*Schialias*) labores: parti minori abscissio ramorum, alteri decorticatio demandatur. Tunc illi eligunt atque abscindunt ramulos, quorum cortex facile a ligno solvitur. Triennes, qui nec dimidia uncia tenuiores sunt, neque uncias tres diametro superant, optimi habentur. Cultro utuntur in hoc opere apice incurvo, quem *Ketta* Zeylonenses nominant. Deinde ramuli isti traduntur decorticatoribus, qui ope cultri alius, *Koketta* dicti, factis incisuris, tum transversalibus, tum longitudinalibus, vel singulis, vel binis, vel ternis, prout ramulus minori aut maiori sit crassitie, solvunt detrahuntque corticem. Fragmenta corticis pro diversa ramulorum conditione variae sunt longitudinis. Minora tunc maioribus ingeruntur, ita ut pars exterior frustuli interioris partem interiorem frustuli exterioris tangat. In fasciculos arcte colligatus cortex per 24 horas intactus servatur. Levis exoritur fermentatio, qua fit, ut epidermis cum subiacente parenchymate succoso postea facilius auferatur. Simul etiam oleum aethereum, non nisi in libro corticis contentum, per omnem corticem magis diffunditur. Hoc tempore elapso, corticis segmenta singula, ligno idoneo imposita, radendo ab epidermide et parte corticali exteriore purgantur.

Cortex subarescendo contrahitur in formam tubulorum, qui denique, modo, supra indicato, in fasciculos 40 circiter uncias longos collecti et per unius diei spatium ex umbra demum ad solem perlati, penitus exarescunt. E corticis, bene siccati, minoribus fasciculis maiores, 30 librarum Angl. pondere, conficiuntur fasciculi, aedibus publicis, in *Colombo* et *Galle* oppidis in hunc finem exstructis, tradendi, ubi Cinnamomum, ita paratum, examini, omni cum cura atque rigore instituto, subiicitur. Fasciculis solutis, tubuli omnes singuli inspiciuntur et seliguntur. Cinnamomum in duo genera, videlicet in Cinnamomum

primae et secundae notae, selectum, servatur; omne vero, quod sit deterius, reiicitur. Zeylonenses indigenae, negotium illud tractantes, ad distinguendam huius aromatis virtutem usu continuo usque adeo exercitati sunt, ut vel primo intuitu de corticis cuiusque natura iudicium ferre possint, nec nisi rarissime iis saporem in auxilium vocare opus sit.

Peracto hoc negotio, cortex in fasces maiores, ponderis 92 1/2 librarum Angl., ligatur, qui singuli sacco duplici, e lana confecto, immittuntur; repletur, quantum spatii relictum est, nigro pipere. Inscripti demum numero, qualitatem cinnamomi, et litteris initialibus, arboretum, in quo collectum est, indicantibus, fasces ad exportandum parati asservantur *).

E cortice cinnamomi deterioris notae, inter examen, cui copia parata subiicitur, reiecto, tum e ramentis et fragmentis, quae in praeparando colligandoque cinnamomo oriuntur, oleum cinnamomi aethereum conficitur. Destillatio in duabus vesicis destillatoriis maioribus, una 200 gallonarum (800 *Bouteillen*), altera vero 90 gallonarum (360 *Bouteillen*), instituitur. In priorem ex his pro quavis destillatione 230 libras (Angl.) cinnamomi cum 225 gallonis aquae marinae immittunt, ex quibus unciae 20-22 olei aetherei, raro plures, eliciuntur. Hoc modo in Zeylonia insula per annum circiter 400 lagenae (*Bouteillen*) aromatis huius calidissimi producuntur, quarum singula trium thalerorum pretio in Anglia venditur. Praeterea e foliis L. Cinnamomi oleum aethereum praestantissimum, isti, quod caryophylli aromatici largiuntur, simillimum, paratur et in Europam devehitur, unde novum haurimus argumentum adversus sententiam eorum, qui

---

*) Ab hoc modo Cinnamomi parandi, a Marshallio descripto, ille, qui olim apud Batavos adhibitus est, recedit sequentibus: 1) Omne fere Cinnamomum ex arboribus silvestribus et sponte nascentibus colligebatur; 2) epidermidem ramulorum ante eorundem decorticationem deradebant; 3) examen cinnamomi collecti a medicis duobus ita instituebatur, ut singulos tubulos sapore probare tenerentur, — opus valde molestum, quum recens cinnamomum acrimonia sua linguam mox ita laederet, ut negotium istud per duos dies exercere, gravissimum haberetur; 4) denique fasces e cinnamomo collecto ad pondus librarum 85 conficiebantur, qui vero non nisi 80 librarum in tabulas referebantur mercatoribus.

L. Cassiam, folia insipida gerentem, in Zeylonia insula coli, affirmant. (Conf. *Leschenault de la Tour* in *Mémoires du Museum d'Hist. nat.* Vol. VIII. et *Froriep Notizen aus dem Gebiet d. Natur- u. Heilkunde.* 1822. No. 59.)

§. 22.

De Cinnamomi praestantioris notis.

Aromatis nostri praestantioris notae a Marshallio sequentes traduntur: tenue sit, laeve, coloris dilute flavescentis, ad colorem auri Veneti accedentis; tenax inveniatur fractumque fibrosam ostendat structuram; saporis sit grati aromatici calefacientis cum dulcedine mixti, et frustulum inter manducandum mollefiat atque in ore quasi deliquescat. — Magna inter cinnamomi varia genera intercedit quoad bonitatem diversitas, eaque tum a colligendi et praeparandi varia ratione, prout aut tempestate sicca aut pluviosa messis eius fuerit peracta, tum a loco natali et solo, in quo arbusculae nascuntur, derivanda. Nempe loci aprici corticem proferunt praestantissimum. In paludosis contra cortex parum aromaticus colligitur: color flavus huic est obscurior, colori radicis curcumae similis; substantia est friabilis, texturae laxae, granulosae et quasi arenosae. (Conf. in antecedentibus, p. 28 et 63, *Welle Coronde*, Cinnamomum arenosum, quod huc forte referendum?)

Cinnamomum, quod ad ripas fluvii *Keymel* ad partem septentrionalem, et prope *Wallaway* in parte insulae australi crescit, multo minoris est pretii; sapor enim eius vix est aromaticus, sed potius amarus et adstringens, quo sapori corticis fructus limonis comparari possit. (Corticem hunc Lauro Cinnamomo merito adscribendum esse, vix concedimus; conf. *Cahatte Coronde*, cinnamomum adstringens, pag. 29 et 64.)

Cinnamomum praestantissimum in partibus australioribus Zeyloniae insulae nascitur, in ea regione, cuius limites linea ficta indicantur, quae a *Negombo* ad *Panamam*, 18 milliaria Angl. versus partem Candiae septentrionalem sita, et inde usque ad *Hambangtotte* ducta, fingitur.

Tabularum explicatio.

Tab. I. Laurus Cinnamomum Lin.

fig. 1. Ramulus fructifer.
— 2. Segmentum longitudinale corollae, magnitudine aucta.
— 3. Laciniae corollae, a facie superiori et a dorso visae, magnitudine aucta.
— 4. Stamina fertilia, magnitudine aucta.
— 5. Stamen singulum, magnitudine aucta.
— 6. Stamen fertile cum sterili ad basin filamenti, magnitudine aucta.
— 7. Anthera aperta, magnitudine aucta.
— 8. Pollen magnitudine naturali.
— 9. Pistillum magnitudine naturali.
— 10. Pars trunci inferioris.
— 11. Segmentum corticis cinnamomi venalis, valde auctum, ut cellulae radiantes conspiciantur.

Tab. II. Laurus Cinnamomum herbarii Royeni.

Tab. III. Laurus Cassia Lin.

fig. 1. Corolla, magnitudine aucta.
— 2. Laciniae corollae, a latere inferiore et a latere superiore visae, magnitudine aucta.
— 3. Stamina et pistillum, magnitudine aucta.
— 4. Stamen fertile cum sterili ad basin filamenti, a tergo visa, magnitudine aucta.
— 5. Stamen fertile, a fronte visum, magnitudine aucta.
— 6. Pistillum, magnitudine aucta.
— 7. Pars trunci inferioris.

Tab. IV. Laurus Burmanni nobis.

fig. 1. Specimen herbarii Willdenowiani.
— 2. Specimen nostrum, e Iava insula missum.
a. Corolla, magnitudine aucta.
b. Stamina, magnitudine aucta.
c. Stamen fertile cum sterilibus ad basin filamenti, a fronte visum, magnitudine aucta.
d. Idem, a tergo visum, magnitudine aucta.
e. Pistillum magnitudine aucta.

Tab. V. Litsaea Zeylanica nobis.

A. Ramulus florifer.

a. Fasciculus florum, a latere visus, magnitudine aucta.
b. Capitulum florum cum involucro, magnitudine aucta.
c. Flos, a latere visus, magnitudine aucta.
d. Flos apertus, magnitudine aucta.
e. Lacinia corollae, a pagina interiori visa, magnitudine aucta.
f. Eadem, a dorso visa, magnitudine aucta.
g. Stamen fertile, magnitudine aucta.
h. Stamen sterile, magnitudine aucta.

Tab. VI. fig. 1. Folium *Rasse Coronde* (L. Cinnamomum Lin.)
— 2. « *Cahatte Coronde.*
— 3. « *Capperoe (Capperu) Coronde.*
— 4. « *Welle Coronde.*
— 5. « *Sewel Coronde.*
— 6. « *Nieke Coronde* (L. Burmanni.)
— 7. « *Dawul Coronde* (Litsaea Zeylanica nob.)
— 8. « *Catte Coronde.*
— 9. « *Mael (Māl) Coronde.*

Annot. Explicationem delineationis horti vide p. VI.

Addenda et Corrigenda.


Pag. 2. Lin. 18. Malabaricum lege: »Malabaricam«

— 5. Nota **) Adde: Cynamolgus errore forte typographico in editione Basiliensi anni 1535 pro Cinnamologos legitur. Alii volunt scribi Cinnamomus, quam avem Aristoteles Hist. anim. l. 9. c. 20. Κιννάμωμον ὄρνεον vocat. — Conf. Ael. H. an. l. 2. c. 33. ὁμώνυμος τῷ φυτῷ κιννάμωμος, ὄρνις, et l. 17. c. 21. Τὸν κιννάμωμον ὄρνιν ἀκούω εἶναι· καὶ μέντοι κομίζειν κάρφη φυτοῦ τοῦ ὁμωνύμου ἐκ τῶν τῆς γῆς τελμάτων, καὶ καλιὰς ὑποπλέκειν, ἔνθα Ἡρόδοτοί τε ᾄδουσι, καὶ ἄλλοι. etc.

p. 9. lin. penult. alium l. »aliud« — p. 10. lin. 8. virgulorum l. »virgularum« — p. 11. l. 7. inf. ἄχυν l. »ἄχυ« — p. 12. l. 6. crescentem l. »crescens« — ibid. idemque, quae aliis l. »idemque, quod aliis« — p. 19. l. 1. illo l. »illi« — p. 19. l. 3. inf. denudatum l. »denudatam« — p. 21. l. 2. figurare l. »figurari« — p. 26. l. 3. adulti l. »adultae« — p. 26. l. 3. inf. redditae l. »reddita« — p. 26. l. ult. exscriptae l. »exscripta« — p. 28. l. 5. experiatur l. »reperiatur« — p. 28 l. 8. acris l. »acri« — p. 33. l. 2. inf. perqua l. »perquam« — p. 38. l. 8. subiectum l. »subiectam« — p. 43. l. 17. Iavam l. »in Iavam« — p. 68. l. 15. existumant l. »existimant.« — p. 69. l. 7. merce l. »mercatura«.

Tab. I.





J. Wild ad nat. del.

Laurus Cinnamomum Lin herb. Royen.

Tab: III.




Laurus Cassia. Lin.

J. Wild del.



J. Wild ad nat. del.

Laurus Burmanni.



Litsaea ceylanica.

T. Wild, ad nat. del.



1
2
3
4.
5.
6
7.
8.
9.